DVELLVM

Siue

SINGVLARE Certamen cum MARTINO BECANO *Jesuita, futiliter re-*futante Apologiam et monitoriam *præfationem ad Imperatorem,* Reges et principes, et quædam *orthodoxa dogmata*

Sereniſſimi ac pientiſſimi

IACOBI

Regis magnæ Britanniæ.

Auctore GVILIELMO TOOKER, ſacræ Theologiæ profeſſore, ac Decano *Eccleſiæ Lichefeldenſis.*

Excudebat G. ELD. *Impenſis* NATH. BVTTER, & R. MAB.

1611.

Capita sequntur hæc.

1. Præfatio ad MARTINVM BECANVM Iesuitam, de totius controuersiæ statu, quem ipse BECANVS in aliena repub. et Ecclesia curiosus, negligenter omiserat.
2. Responsio ad priorem partem libri, de Primatu.
3. Responsio ad posteriorem partem, de Paradoxis et erroribus.
4. Responsio ad Epilogum, siue Catalogus sophismatum, elenchorum, paralogismorum BECANI in utraque quæstione, de Primatu et Paradoxis.

EPISTOLA DEDICATORIA

AD

Illustrissimum Principem

HENRICVM *magnæ*

Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ, *Hæredem.*

MAgnanime Princeps ac literatorũ omnium

„ *Mæcenas atauis edite Regibus*
„ *O et præsidium et dulce decus meum.*

Adduco ad excellentiam, vestram, hoc meum duellum, siue singulare certamen, cum *Martino Becano* Iesuita, professore Moguntino, Regibus obtrectare, ac

maledicere, Pontificibus vero Romanis aſſentari, eorumque tribunalia adulari et lambere ſolito, Idem igitur facio, quod *Marcus ille Fulvius qui cum Ætolis bellavit, non dubitavit*, nec ipſe dubitem, *Martis huius manubias, muſis tuis conſecrare*, et cui æquius eſt offerri, quam tibi, Chriſtianis Regibus, maioribus tuis orto, ac proſeminato, Auguſtiſsimi Regis filio, chriſtiano lacte enutrito, et educato, Religionis Chriſtianæ ac verè Catholicæ, ſupra ætatem propugnatori acerrimo, oſori-

Cic. pro. Archia poet.

que

que Romanæ ſuperſtitionis, et uindici fortiſsimo, ac debellatori olim futuro. Ieſuita hîc multa allegat nihil probat, varia argumentorum, ut armorum, genera, colligit ac comportat, Syllogiſmos, Enthymemata, Dilemmata, quibus oppugnat clariſsimi Regis noſtri, aliorumque Chriſtianorum principum, ius primatus in Eccleſia. Verum tamen in arcem cauſæ non inuadit, nullum locum expugnat, ne proficit Hylum. Primatui regio derepente factus eſt inimicus, neſcit de

quibus affirmat, curiosus est, ἀλλοτριοεπίσκοπος in aliena repub: & ecclesia, quanquam ius et fas legemque primatus, morem majorum consuetudinem plurium annorum, mansuetudinem huiusce regiminis illustrissimi ac moderatissimi, in regno Britanniæ, penitus ignorat, nec in singulîs magis sapit quam beta. Audax negotium, hominem priuatum, personam publicam et sacrosanctam; terræ filium, eundemq; Iesuitam, et emissarium Satanæ, clarissimum, doctissimumq;

Regẽ unctũ *Domini*, indignis modis laceſſere : Quid eſt enim indignius quam plurimas contumelias, iniuriaſquẽ, imponere optimo Regi, perinde ac ſi ageret cum Iuliano *Atheo*, et Conſtantio Arriano : ſplendida affingere mendacia ſereniſſimo Regi, ac Doctiſſimo Elienſi epiſcopo, quod facit in proæmio, et toto uolumine. Sed eſt uitium huius tẽporis, uirtutis florem uelle infringere : Habet enim impudentiam pro telo, ignorantiã pro ſcuto. Quæ ſunt igitur tuæ partes,

— O qua sol habitabiles
Illustrat oras (maxime Principum?)

Ad quem hæreditaria gloria clarissimi Patris tui, non solum regnandi, sed etiam disputandi perventura est? vt auctoritate coerceas, armis profliges sanguinarios et incendiarios Iesuitas, qui isto extremo mundi tempore, tanto amore ardent meretricis babyloniæ, eiusq; primatus pontificij, tanto odio flagrant primatus Regij, vt nihil nisi mactationem, ac cædem principum, nihil nisi rerum publicarum perturbationem ac combustionem, meditentur,

tur, machinentur, insigniter impiè doceant. Meæ quidem partes exiguæ sunt, Zelus erit maximus, ut pro uirili parte, districto gladio, in acie hac argumentationis, agam contra eos, mucrone petam latera, ac transuerberem, arma depositurus nunquam, nisi Pontifices et Iesuitæ ab alienæ iurisdictionis finibus inuadendis, principumq; tẽporalibus iuribus, cum eiuratione publica falsorũ dogmatũ, abstineant. Quia vero tanta est garrulitas rusticitas, importunitas, inuere-

cundia

Dauid Paræus *Epistola scripta huc in Britanniam de etymo nominis* Becani *quod Ranam significat.*

cundia in oculis, & asperitas uocis ranarum, & ranunculorum Iesuitarum, (uidit enim D. Iohannis Apoc. cap. 16. *Tres immundos spiritus in ranarum similitudinem exeuntes de ore Draconis, & de ore bestiæ, & de ore falsi prophetæ.*) Velitis iubeatis uos principes orthodoxi protestantes officiosissimam immo pernitiosissimam nationem Iesuitarum silere aç cõticescere. Per omnia fere simillimi Iesuitæ ranis: Βάτραχοι in luto & cæno (ait Plinius) procreantur. Huius generis ani-

Lib. 9. cap. 15. hist. nat.

animalia uidere eſt altera parte ranam, altera parte terram indiſtinctam uiuentique particulæ applicitam referre.

Quid autem ſunt Ieſuitæ niſi terræ filij? *Qui contra cœlum opponunt os ſuum, & lingua eorum peruadit terram*. Genuit hos Ignatius Loiola in ultima ſenectute, claudos, mutilatos, ſicut ipſe claudicabat, & claudicant hij in officio erga Reges & Principes; habentque linguam quæ πολύγλωσσον, et eiulantem reddit, oculos uero ſub-

Iacobus Gretzerus *Ieſuita, in refutat. ordin. Ieſuitici.*

subsanguineos prominentes et emissititios (*oculi* enim stultorum *in finibus* terræ) vt spectandi contuendiq; omnia curiositatem ac stoliditatem præ se ferant. Quæso igitur ab excellentia tua, et enixè et humiliter rogo, ut, quod de Augusto fertur infantulo, cum in auito suburbano, obstrepentes fortè ranas, silere iussisset (cui quidem narrationi adeó favit uetustas illa, ut ex eo negentur ibi Ranæ coaxare: (quasi adhuc etiam tanti principis imperio obsequantur) Ipse adolescens, et

Pierij Valer. l. 29 Hieroglyph.

regia

regia progenies, pro imperio convitiatrices Ranas, Iesuitas, amplius coaxare, contra primatum regium tuo edicto uetes, pro illa maturitate prudentiæ tuæ, et agere altum silentium iubeas. Vale optime PRINCEPS, delitiæ ac decus humani generis.

Excellentiæ tuæ humillimus atque addictissimus

Servus

GVILIELMVS TOOKER.

Prioris partis Quæstiones

tractatæ in hoc Duello.

1. An Rex iure naturali habeat primatum Ecclesiæ?
2. An iure diuino veteris testamenti?
3. An iure diuino noui testamenti?
4. An iure Ciuili uel Canonico?
5. An consensu doctorum hominum?
6. An titulo præscriptionis?
7. An secundum principia suæ doctrinæ?
8. Si non habet primatū Ecclesiæ, quod ergo illius officium sit circa Ecclesiam?

Posterioris partis quæstiones tractatæ.

1. De vicario Christi.
2. De vicario Dei.
3. De statu Henoch et Heliæ.
4. De morte Henoch & Heliæ.
5. De duobus testibus Apoc. 11.
6. De Beata Virgine Maria.
7. De fundamento fidei.
8. De concilio generali conuocando.

PRÆ-

PRÆFATIO AD Martinum Becanum Iesuitam de totius Controuersiæ statu.

Becani Refutatio innititur, } vel { inueterata inuidia primatus Regii, noua calumnia dogmatum Regis.

ANIMADVERTI BECANE, omnem Refutationem tuã, in duas diuisã esse partes: quarũ altera mihi nimi, ac magnopere confidere videtur, inuidia jam inveterata Primatus Regij: altera tantummodò putidæ calumniæ causa timidè, & diffidenter attingere rationem quorundam Dogmatum *clarissimi Regis Britanniæ*, quæ abs ipso acutè inventa, & sapienter prolata, nullis viribus ingenij tui poterint labefactari, vel calumniando perverti. Itaque mihi certum

est hanc eandē distributionē, & primatus & Paradoxorū servare, ut omnes intelligāt in defensione istâ, nihil me subterfugere voluisse reticendo, nec obscurate tecū disceptando. Neq; video, cur non in contentione istâ & certamine, *Theologus Matæologū, Orthodoxus Iesuitā, Decanus Becanum* perbellè possit pertundere. Sequutus igitur methodū, vel potiùs τὰς μεθοδείας argumentationū tuarum, & inconsequentiarū insecutus, rem totā majoribus primordijs aggrediar. *Serenissimus ac potentissimus Rex Angliæ Iacobus*, quē utinam honoris causa, & virtutū suarū admirabilitate, nominâsses sicut debueras: inquis, in sua Apologia, pro juramento Fidelitatis, ac in monitoria præfatione ad Imperatorē, Reges & Principes, conatur ostendere se in *Anglia*, & unumquemq; *Regē* in suo regno esse *caput & primatē Ecclesiæ*. Primùm igitur, ais, *Regē* conatū ostendere: tunc vocas conatū, quod est abs eo in libello suo aureo, vel si quid est auro pretiosius, planè præstitū; quia illud opus perfectū ingenio elaboratum industria *Regia*, infinitâ laude anteponitur vestris inanibus commentationibus,

tionibus, ut de eo, nullę literæ, ac linguæ cõticescant. Deinde ais, *sereniſsimam Maieſtatem* affirmare hunc primatũ, Sacellanum ejus confirmare: quẽ tu vocas *Sacellanum*, nos omni laude digniſsimum *Epiſcopum Elienſem* dicimus: at quem virum? doctiſſimum, fortiſſimumq; Eccleſiæ *Heroëm*, omni literatura abundantiſſimũ, qui propter multiplicẽ ac reconditiorẽ Theologiæ cognitionem, apud nos πεντεγλοπος, utpotè qui literis *Latinis*, *Græcis*, *Hebræis*, *Chaldaicis*, ac *Arabicis* inſtructiſſimus ſit, jure merito appellatur. Veruntamen, ais, Regem noſtrum id conatum oſtendere, ſe & unumquemquè regẽ in ſuo regno, eſſe *caput & primatẽ Eccleſiæ*. Vide autẽ quomodo in ipſa quæſtionis janua, turpiter ac fœdè impingas, ac collabaris. Quod ſi in ipſo veſtibulo, ac limine hujus controverſiæ corruis, quid tibi offenſionis, erroris, hallucinationis, in cæteris partib⁹ hujuſce diſceptationis oboriatur, pertimeſcendũq; ſit, etiã atq; etiã vide. Olere autẽ malitiã ac clamitare audaciã tuã, tuorũq; illud videtur, cùm *Regẽ* caput *Eccleſiæ primatemq;* confingas, omniumq; cauſarũ & controverſiarũ (quæ ad fidẽ & Religionem pertinent) Iudicem tribuas.

Audi igitur, qua ratione tibi prudenter Rex occurrat, quaq; cautione verborum, tacitæ veſtrorum omninũ malevolentiæ ſatisfaciat. *De capite fidei Apoſtoli ſat ſcio nunquam illius nominis honorem cuiquam (niſi Chriſto) tribuerunt. Caput Eccleſiæ genuinum ac proprium, Chriſtum unicum eſſe,* Sereniſſima ejus Majeſtas *agnoſcit.* Regem verò Elienſis Epiſcopus ita nobiſcum recognoſcit cum *Chryſoſtomo,* & κεφαλὴν & κορυφὴν, *Caput, & Verticem capitis, quod maximè eſt ſublime in ipſo capite,* ut Gubernatorem Eccleſiæ poſt illud primarium caput Chriſtum intelligant. De Regibus omnibus ſub Vetere Teſtamento, deq; Chriſtianis ſub Novo, diſertiſsimis verbis Rex ait. *Haud dubiè gubernatores erant Eccleſiæ intra fines ſuos, corruptelas purgavère, abuſus ſuſtulère, Arcam ad conſtitutum quietis locum perduxère, Arcæ deportandæ præſultavère, templum ædificavère, & ſuâ preſentiâ opus dedicationis cohoneſtârunt, librum Legis è tenebris erutum populo recitari fecerunt, fœdus inter* Deum *populumq; redintegrârunt, confregère ſerpentem æneum, quamvis & diſerto*

Dei

Dei mandato erectum, Christum Dominum *suo modo figurantem, Idola omnia deosq; falsos exterminavêre, reformationes publicas instituêre, convocatis eo fine, & congregatis promiscuè sacerdotibus & laicis, exauctoraverunt Summum Sacerdotem, aliumq; in eius locum subrogaverunt, in summa, cuncta moderati sunt quæ ad Ecclesiasticum regimen quoquo modo pertinuerunt.* Et paulò post: *Regibus Christianis Ecclesiam, intra fines suos, non minus quam reliquum populum esse gubernandam, ut qui Custodes sint utriusq; Tabulæ, non quidem novos Articulos fidei condendo, (id enim Papæ munus est) sed efficiendo, ut Dei verbo publicè obtemperaretur, Religionem repurgando, iuxta divinam voluntatem in Sacris patefactam, & temporalem gladium in beneficium spiritualis potestatis distringendo, abolendo corruptelas, Ecclesiasticam authoritatem sanciendo, quæstiones frivolas & schismatum licentiam, vel componendo vel coërcendo, tollendoq;, quod* Constantinus *factitavit; deniq; decorum quoddam tuendo, & leges, ac jura præscribendo de Adiaphoris rebus omnibus, ordinis*

gratia, ad quem solum scopum collimat hoc Iuramentum primatus. Hactenus clarissimus ac religiosissimus Rex. Subjungit verò his præclarissimis Regis axiomatibus Matheomastix & *Torti* tortor calentissimus, *Nos Testamentum Novum à vetere non divellimus, ex utroq; ius regiũ astruimus, habere reges in vetere primatum suum, in novo autẽ non sunt deteriore loco, sub eadẽ igitur conditione, idẽ illis primatus debetur, idẽ reddendus est.* Atqui, si primatus regi debitus est, *Rex* igitur *Ecclesiæ primas est*, qui enim primatũ gerit, primas est, inquies. Hæc autem enunciata debent esse, quod secùs aliquando videm⁹ contingere, & re & nomine conjugata. *Serenissimus* n. *Rex* quantumvis isto primatu regio utatur, tanquã jure suo, haud tamẽ se præfert in Hierarchia ecclesiastica primatem *Ecclesiæ*. Habet verò sub se primates Archiepiscopos, Episcopos, alios q; ordine Hierarchico dispositos, & subordinatos. Habet, immò habuit, reverendissimũ *Richardum Cantuariensem* totius Angliæ primatẽ, & Metropolitanum, acerrimũ propugnatorem rei ecclesiasticæ, ac Iesuitarũ

malleum

malleum, post multos exantlatos labores nuper mortuum. Habet alterius Provincię Eboracensis primatem, *Tobiam*, clarissimum lumen & sydus septentrionale, eloquentiæ, eruditionis, pietatis facilè principem. Habet in *Hibernia*, habet in *Scotia* primates alios. Habet Episcopos *Londinensem, Dunelmensem, Wintonienſem, Elienſem, Sarisburienſem, Bathonienſem & Wellenſem, Exonienſem, Lincolnienſem*, cõplureſq; alios ornatissimos Pręsules, omni genere doctrinæ excellentes, ne singulos nominando, & numerando, percensęam *antistites Ecclesiæ*, disertissimos ad dicendũ, paratissimosq; ad respondendum, tibi, reliquisquè tuæ sectæ Iesuitis. Sin mecum in ista prolusione nihil fueris, quem te in ipsa pugna cum acerrimis adversarijs fore putemus? qui tibi æstus, qui error, quæ tenebræ, Deus bone! erant homini minimè malo, in isto certamine cum *Wintonienſi*, cum *Elienſi* Episcopo? quorum alter ingenij, ac industriæ specimen nuper edidit librum, alter abs se librum idiomate nostro conscriptum, contra Iesuitas

vestros, absolutum & perpolitum nuper latinitate donandum editurus, contra vaframenta vestra in Primatum regium conficta, facillimè se opponunt, oppositurique; sunt ambo, alterutérve eorum, contra *Bellarminum* vestrum (quod de *Lucio Papyrio* cursore, dictum est à *Tito Livio*) par animis destinatus est Magno *Alexandro* Dux, si arma Asia perdomita in Europam vertisset, similiter si plura contra Primatum regium intentaveritis, hac ætate qua nulla virtutum, præclarorumque virorum feracior est, contra vos disputando, omnique ratione pugnando fortissimè decertabit. Atque utinam *Martine Becane* contemplareris oculis mentis tuæ, pulcherrimam ecclesiasticæ politeiæ nostræ formam, modo sit perpetuus huius qua vivimus pacis amor, & civilis & ecclesiasticæ cura concordiæ, de qua nec diffidimus, nec diffitemur, profectò mirabilitèr amores excitaret sui, præsertim cùm videres Deũ præpotentẽ ineffabili judicio res nostras dispensantẽ, Ecclesias, Academias, Collegia singulari providentia disponentẽ, ordinantemque; omnia maxima, mediocria,

mediocria, minima, in regno Angliæ, opinor te vel odium, vel faſtidium Primatus pontificij habiturum, Primatumq; hunc juſtiſſimi, clementiſſimi, moderatiſſimiq́ue Principis, nobiſcum unà veneraturum. Licet enim cum filijs hominum priſcæ illius ætatis, qui dixerunt unuſquiſque ad ſocium ſuum, *Agite, lateres laterificemus, & comburamus ad combuſtionem, & fuit eis later pro lapide, & lutum pro cæmento, & ædificemus civitatem, & in ea turrim, & caput eius in cælum, & faciamus nobis nomen, nè fortè diſpergamur in ſuperficie terræ*, Vos terræ filij, Cives Babylonis Ieſuitæ, pari auſu dicatis; civitatem Diaboli extruamus, & in ea turrim, immenſæ altitudinis Principatus Eccleſiaſtici, & Primatus Pontificij, ex materia illa præculta, & præparata, lateritiæ inventionis, & luteæ traditionis humanæ, *Diſcendit tamen* Dominus, *& vidit, & confudit labia uniuſcujuſq; veſtrûm, ut non audiretis, & diſperdidit, & diſperſit vos in ſuperficie omnis terræ*: ut neceſſe habeatis manus abſtinere ab ędificatione civitatis Babylonis, & inſanis ſubſtructionibus Gen. 11.

nibus

nib⁹ ejuscemodi turris, quam molimini & quã machinamini contra verum Ecclesiæ caput Christum, regesq; Christianos ejus Pyramides, contraq; totam Ecclesiã, id est, civitatẽ Dei. Existimatione nostrâ, vestraq; dignum est, quòd magna perturbatio in civili politeia, major autẽ confusio, tàm doctrinæ quàm disciplinæ, ecclesiasticæq; administrationis, oborta sit, in illa prima Babylone: quemadmodũ nec minor offusa fuerit caligo, cùm Ecclesia Dei necesse haberet diversari in posteriore Babylone. *Est enim, ne multis morer,* (inquit *August.*) *Roma condita, velut altera Babylon, & velut prioris Babylonis filia*: docetq; tum esse Romam conditã, cùm intercidisset Assyriorum regnũ. Fuit quidẽ & altera Babylon in Ægypto, sed obscurioris nominis fuit. Roma autem Babylon est in mysterio, nõ tam Ethnica, sed illa quæ degeneravit ab Ecclesia Christi, factaq; est Antichristiana. Etenim Babylon, apud *Iohannem* nostrum, qui damnationem illius pręviderat, (inquit *Tertul.*) *Romanæ urbis figuram portat, proindè & magnæ, & regno superbæ, & sanctorum debellatricis. De cuius medio fugite* (monet *Iohannes*) *& salvate unusquisque*

Lib. contra Iudæos.

quisque vestrûm animam suam: cecidit enim, cecidit Babylon *civitas magna, & facta est habitatio* Dæmonũ, *& custodia spiritus immundi. Factaq; est meretrix magna, & mater scortationum, mulier circundata purpurâ & coccino, inaurata auro & lapide pretioso, & ipsa ebria sanguine Sanctorum, & aureo calice fornicationum suarum omnes gentes inebrians.* Cujus totius civitatis structura diabolica est, cujus turris primatus altitudo est, cujus ferrumen bitúminãdis muris traditio hominũ est, cujus tota moles confusio est. Et quia ab illis S. *Hieronymi* temporibus usquè ad hæc tempora in pluribus filia Babylonis est quàm filia Sionis, sedes Antichristi & mystica Babylon jure merito dicenda est, & plusquã probabili ratione contra vos est asserenda. Cave igitur (*Betane*) ne dum primatum regium diruis, incassùm labores, & quantum de industria pontificium primatum astruis, tantum data opera eundem magis magisquè destruas, & tantùm lædas, quantùm laudas, quod fecerunt ante te omnes tui Ordinis, qui Pontificatum Romanum, jam diu

diu dissolutum, & divulsum, vel cœlitùs *Anathemate* perculsum, vel opibus resarciverint vel viribus suffulciverint suis. Quid est enim Primatus Romanus aliud quàm turris Babylonica? Ac ne longè abeamus ab instituto, quibus rationibus oppugnes Primatum *Regis Angliæ*, quibusque eundem propugnemus, quale fundamentum causæ jeceris, consideremus diligentiùs, & quid Primatus hic sit, ut verum à falso suo discrimine separemus, ubi de finibus utriusque Iurisdictionis, & potestatis civilis, & ecclesiasticæ, differendum est, ne eadem millies mansa, & tamen cruda & semicocta reponas, ac in os ingeras, ac una eademque dictata inculces, quod vobis ferè omnibus solet contingere, tantisper dum vestra ὑπομνήματα inaniter repetendo, vel nostras ὑποθέσεις non intelligendo, intelligitis. Ac primo inquis, *Non disceptamus de Primatu in temporalibus illum, quisque Rex in suo regno legitimè habeat.* Quid ego audio? *legitimè habeat*: idque solus; hoc est, habere debeat, certè quidem liberalitatem tuam aspernari non debeo: quod das accipio,

accipio, sed nunquid Pontificiorum natio eadem largitate concedit? nunquid Pontifex de suo iure cedit? an *Guilielmus Barclaius*, vir doctus, *Bellarmini* argutijs vel *Bozii* ineptijs, aliorúmve sententiæ accedit? Pontificē Romanum habere *directè* vel *indirectè* temporalem illā potestatē, & si non *actu* saltē *habitu* in Principes sæculares & Reges Christianos? Sed tota lis est de Primatu Ecclesiæ & potestate ecclesiastica: cæterùm quis est iste *regius Ecclesiæ Primatus*? quæ est ista potestas supra intrave Ecclesiam? An verò cùm Regem Ecclesiæ præponimus, primatúmve & regimen in Ecclesia, supponimus Pontificatum vestrum summum & maximum introducimus in Ecclesiam, vel in παμβασιλείαν absolutumvè dominatum convertimus? nos quidem nec pontificatum veterem, nec Papatum novum invehimus in Ecclesiam. Omissa igitur distinctione tua huic instituto inutili & futili prorsus de potestate triplici, quam vulgus Theologorum vestratium amplectitur, sed Ecclesia ac schola Christi melius ignorat ac repudiat: nam ubi lex Dei non distinguit

neque

neq; nos debem° distinguere, de potestate conferendi *baptismum & sacros ordines Eucharistiam* conficiendi, *Chrisma & oleũ* infirmorum benedicendi, solvendi, ligandiq; in foro conscientiæ, ac in foro penitentiæ, quã jurisdictionem interiorem appellas, quæris *An Rex Angliæ in suo regno sic habeat primatũ Ecclesiæ, ut potestatem Iurisdictionis exterioris habeat, utpotè Synodum convocandi, & in ea præsidendi, constitutiones condendi, causas audiendi, & cognoscendi; controversias dirimendi, beneficia conferendi, Ministros Ecclesiæ constituendi, delinquentes excommunicandi, uno verbo omnium causarum & controversiarum quæ ad fidẽ & religionem pertinent, Iudicem agendi.* Et si potestatem illã triplicẽ habet, quæris an excellentiore modo habeat, quàm Pontifex & Episcopi? vel quod idẽ est: *An in illa triplici potestate supra Pontifices & Episcopos collocand° sit?* Ad id quod postulas facilis est & expedita responsio: quæ Reges & Principes nullo modo habent, nec excellentiore modo habent: potestatẽ itaq; prædicandi verbũ Dei, administrandive Sacramenta, vel dandi sacra & sacramentalia, vel impositionis manuum,

vel

vel gladiũ spirituale distringendi, vel quẽpiam excommunicandi, absolvendíve, arcendíve à sacris, vel admittẽdi, vel anathematizãdi, omninò non habent, nec claviũ jus, nec censuras ulla ratione sibi vendicãt, nec sacerdotalem functionẽ, aut episcopale munus, eisdem officijs exspoliant. Quod autẽ deinde quęris, & idem esse vis, vel in idem recidere, an triplici illa potestate supra Episcopos & Pontificẽ (tuum fortassis) collocãdus sit? De pontifice Romano hoc in tempore non ambigo, an *imperatoria*, vel *Cæsarea Maiestas* supra *Papã* locari debeat, de sereniſsimo Rege nostro respondeo, si unũ priùs addidero, cujus admonendus es, non est eadem quæstio, utrum *Rex Angliæ* triplicem illã potestatem habeat quã Episcopi: quod tu (temerè ne dicam) insipientèr opinaris, & utrum in illa vel omnimoda potestate dũmodò legitima collocari debeat supra Episcopos? Etenim regia sublimitas constituenda est supra omnes personas, licèt sint Apostoli, sint Prophetæ, sint Evangelistæ, sint Doctores, sint denique Pastores, non quidem supra res ipsas, utpotè verbum Dei, Sacramenta, Fidem, Pœnitentiam,

tentiam, quæ ſunt ſpiritualia, (per hæc enim ſpirituale regimen animarum Chriſti eſt proprium, etſi exerceatur per ſacerdotale Miniſterium) quod vobis inculcatum eſt, & à nobis dictum millies. Itaque quantumvis Miniſtrorum functio, & diſpenſatio quæ concredita eſt illis, Regum ac Principum muneri antecellat perfectione & ſolatio, non tamen poteſtatis eminentia, quæ omnia bona & ſalutaria jubet pro Chriſto, & Eccleſia, & prohibet contraria. Proindè acſi Palinodiam caneres, tuorumq; injuriam ac contumeliam abs te factam, retractando fatereris, duo certa ſunt (inquis) unum in controverſia poſitum. *Primo certum eſt* (inquis) *Regem non vendicare ſibi poteſtatem ordinis, & multò minùs in ea ſuperiorem eſſe Epiſcopis, non enim ad id ordinatus vel conſecratus eſt, ut per ſe conſtat, nec in hoc genere ſupra Epiſcopos collocari vult*: Veritatis vi coactus confiteris Regem nec docendi munus, nec dubia Legis explicandi, nec conciones habendi, nec rei ſacræ præcundi, multò minùs incenſum adolendi,

cum

cum *Ozia*, vel arcam attrectandi cum *Oza*. Secundò æquè certum est, ais, non habere potestatem iurisdictionis interioris, in absolvendo, et ligando, ut *Bellarmini* calumniam veterem, tuamque novam ipse diluas. Elizabetha Regina *apud Anglos summus pontifex est*, vel omnium causarum, et controversiarum, quæ ad fidem & religionem pertinēt, *Serenissimus Rex Angliæ Iacobus* agit Iudicem.

Ad tertium abs te ζήτημα propositum descendis, *An potestatem Iurisdictionis exterioris supra Episcopos obtineat in suo regno, et sit supremus Iudex ecclesiasticus, quæ authoritas a nullo alio in terris dependeat: An Synodos convocare, & in ijs præsidere, controversias circa fidem et religionem dirimere, beneficia conferre, Episcopos constituere et deponere, et similes actus religionis exercere debeat: hoc est enim habere primatum in Ecclesia*, quoad exteriorem gubernationem. Videamus itaque an Rex habeat hæc omnia quæ exterioris politiæ sunt: vel omnia, vel

aliqua iure sibi vendicet, necnè? Facis autem, *Becane*, in huius quæstionis examine, quod Iurisconsulti facere solent interdum, teste *Cicerone*, qui quo plura ac difficiliora se scire putentur, quæ unius cognitionis sunt in plura dispertiuntur: ista quidem non tam adducere in medium, quam ad extremum usque persequi, et refellere debueras: alioqui hominis est intemperanter abutentis & otio & literis. Priusquam igitur tibi ostendero, quid possit Regia maiestas in his omnibus, vel singulis, quis sit quæstionis huius status, paucis expediam: et antequam ad argumenta tua, octo capitulis digesta, et distributa, diluenda me accinxero, complicatam animi mei notionem tibi euolvam, ut nec mihi, nec tibi ulla tergiversatione in posterum uti vel necesse, vel volupe sit. Duo extrema sunt, eaque ni vitio poni solent, quorum primum est ut rex Christianus sit ἀλλότριοσπίσκοπος, et curiosus in aliena prouincia, vel immisceat se omnibus ecclesiæ negotijs, cum *Ozia* vel *Vzza*: alterum

Duo extrema { ἀλλοτριοεπίσκοπον / nullum } in Ecclesia.
regem esse, vel

rum pari reprehensione dignum, nullarum rerum quæ ad Ecclesiam spectant, sollicitudinem curamue agere, quod est ignavorum ac ignarorum principum: Tertium est, quod ōmni laude dignum est, quæ ad suam curam pertinent procurare negotia. Regia autem cura præcipua cura est deo servire: *Augustinus* autem in pluribus locis, ait, *Reges & principes servire Christo, condendo leges pro Christo*, et est præclarū *Augustini* axioma, *Quando Imperatores veritatem tenent, pro ipsa veritate contra errorem iubent, quod quisque contempserit, ipse, sibi iudicium acquirit: nam & inter homines pœnas luit, et apud deum sortem non habebit, qui hoc facere nolvit quod ei, per cor Regis, veritas ipsa iusserit*, & Paulo post in eadem Epistola quam scripsit contra Donatistas, *hoc iubent Imperatores quod iubet et Christus, quia cum bonum iubent, per illos non iubet nisi Christus*: et epistola ad *Bonifacium*, virum militarem de Cæsaris commitatu numero quinquagessima quæstione facta: Epist. 168

Duo extrema regem esse, vel { ἀλλοτριοεπίσκοπον / nullum } in Ecclesia.

Quomodo ergo Reges Domino ſerviunt? ſubiungit, *niſi, ea quæ contra iuſſa dominifiant, relligioſa ſeveritate prohibendo atque plectendo. Aliter enim ſervit quia homo eſt, aliter quia etiam & rex eſt: quia homo eſt, ei ſervivit vivendo fideliter, quia vero etiam & rex eſt, ſervit, leges iuſta præcipientes, & contraria prohibentes convenienti vigore ſanciendo: Sicut ſervivit* Ezechias, *lucos & templa Idolorum, & illa excelſa quæ contra præcepta Dei fuerant conſtructa, deſtruendo. Sicut ſervivit* Ioſias, *talia & ipſe faciendo: Sicut ſervivit* Rex Ninivitarum, *univerſam civitatem ad placandum Dominum compellendo: Sicut ſervivit* Darius, *idolum frangendo in poteſtatem* Danieli *dando, & inimicos eius leonibus ingerendo: Sicut ſervivit* Nabuchodonoſor (*de quo iam diximus*) *omnes in regno ſuo poſitos, a blaſphemando* Deo, *lege terribili prohibendo: In hoc ergo ſerviunt dominò reges, in quantum ſunt reges, cum ea faciunt ad ſeruiendum illi quæ non poſſunt facere niſi*

Regis Christo serviunt condendo leges pro Christo, pro ipsa veritate contra errores iubendo, & religiosa severitate prohibendo.

nisi Reges. Serviunt igitur Domino ac Christo suo, servitute officiorum suorum, non homini inserviunt, servitium hoc non sæculare, ac humanum est tantummodo, sed cæleste ac divinum est: ex quo ista consectaria deducimus. Serviunt sanciendo leges, ac iubendo pro veritate, serviũt religiosa severitate prohibendo, ac plectendo, serviunt cõpellendo, serviunt non vt aliorum iussionum exequutores, & adiutores, sed ut legum salubrium & authores, & latores, nec tam ut mala impediant, quam ut bono procurent serviunt Christo: in quo quidem munere obeundo, non posteriores partes regi, sed priores tribuendæ sunt. Neque vero æquum est servitutem hanc appellare dominatum regium, in omnibus pro sua libidine dominandi, sed primatum legitimum, singula iubendi pro Ecclesiæ incolumitate, ac stabilitate. Salus populi Dei suprema lex esto. Quanquam enim reges gentium, quæ ad fidem convertuntur, καθαχυριεύουσι, imperiũ ac dominationẽ

 habent,

habent, nequaquam domini fidei ſunt, ſicut nec Epiſcopi Apoſtolorum ſucceſſores, nec ipſi Apoſtoli. Sacerdotum autem munus perpetuum eſt, ut doceant ex Dei verbo, principum ut iubeant, non quod animis ſuis adlubeſcit, ſed cum rationis ac relligionis dictamine, et cum conſilio, ut ea demum faciant *ad ſerviendum illi, in quantum ſunt reges, quæ non poſſunt facere niſi Reges*. Tantùm poteſt rex quantùm iure poteſt, et meminiſſe debet, quanta ſibi permiſſa poteſtas, iure divino, quanta ſibi commiſſa authoritas iure humano. *Imperatores fælices dicimus, ſi ſuam poteſtatem ad dei cultum maximè dilatandum famulam faciunt*, cum Auguſtino, *Imperator bonus intra eccleſiam, non ſupra eccleſiam eſt*, non illibenter fatemur cum *Ambroſio*: et tamen ſuperior eſt omnibus perſonis in Eccleſia. Non eſt Rex vel Imperator ſupra eccleſiam, vel militantem in terris, nedum triumphantem in cælis, non eſt ſupra eccleſiam Catholicam, cuius caput eſt Chriſtus, quot civium capita

Auguſt: Ciuit. lib. 5. cap. 14

capita censa sunt, eorundem omnium Rex caput est. Non est princeps *supra res, sed supra personas*. Regnum Dei, id est Ecclesia, *iustitia, et pax est, et gaudium per spiritum sanctum*. Fides ecclesiæ fundamentum; at totum hoc regnum Christi est. Res ecclesiæ Deo dandæ sunt, non Cæsari, vel Regi: partes vero Ecclesiæ sunt homines, et fideles homines, qui sunt regis; concludam et uno absolvam verbo; Rex non est supra sacramenta, et verbum, nec super Ecclesiæ spiritualia charismata, et tamen supremus est in Ecclesia gubernator. Iam vero ne nobis (quod sæpenumerò facere soleatis) illo coccysmo ogganniatis, concedi oportere primatum regium in temporalibus, negari in Ecclesiasticis, et spiritualibus iure meritò oportere, hoc tibi Sole ipso manifestius ostendam, primariam regis curam agendam esse, pro rebus ac causis Ecclesiasticis, primatumq; regis in eo munere perfungendo potissimùm consistere: Siquidem documenta et authoritates diuinas requisiveris, Anna-

Amb: de incar: dominic.
Rom.14.

les regum Israel, & Iuda evolue, si ætates, historia Ecclesiastica octingentorum annorum plena est exemplis. Nemini dubium est quin in primitiva Ecclesia, de rebus & personis Ecclesiasticis ius dicerent Imperatores, & deinceps Tempore quo *Romanum* (inquit *Alciatus*) *florebat Imperium, etiam Clerici Imperatoribus subierant, donec paulatim se in libertatem vendicauere, dein ultro ad sæculares quoq; subijciendos progressi sunt.* Sine dubio igitur utebantur Iurisdictione sua, legesque figebant universo cætui Christiano, id est ius dicebant, nam quod attinet ad dubiorum resolutionem, & decisionem rerum controversarum, omniumq; litium contestationem, ad Iudices suos tam ecclesiasticos, quam civiles, ablegabant. Isto modo *Constantius*, Imperator glorioſissimus, omnem curam ac cogitationem in rerum Ecclesiasticarum administrationem olim derivavit: isto modo deum, ac religionem colentes reliqui Imperatores ac Reges, *Arcadius*, *Honorius*, *Theodosius* maior, minorque, *Martianus*, *Iustinianus*, *Carolus*

Alciat in cod Rubric: de sacros: Ecclesiis tom. 3. Ibidem Alciat: lege. 10. iubemus, verbo publicatione.

Carolus Magnus, & *Ludovicus* filius *Caroli*, & nepos *Lotharius*, benè ac beatè rem Ecclesiasticam gesserunt, ac ne quid detrimenti caperet respublica Christiana, abs Idololatris, Blasphemis, Hæreticis, Schismaticis, Sacrilegis sapienter prævi-derunt: isto denique modo, Regum præ-stantissimus, ac pientissimus *Iacobus*, lite-rarum ac linguarum peritissimus, zeloq; domus Dei ardens, omne suum tempus, necessarijs Ecclesię temporibus transmit-tendum putavit, salubritatem deniquè ac stabilitatem legum Ecclesiasticarum in regno suo Angliæ, diligenter procuravit. An verò ipse dices (*Becane*) homo amen-tissime, ac regio juri iniquissime, quod illi prisci Reges cum summa laude fecerunt, hoc Christiani reges, cum pari laude non facerent? vel nunquid nobis cum Donati-stis contradices, ad principes non perti-nere, ut velint, ut jubeant quod fœlix fau-stumque sit Ecclesiæ, punire autem con-trarium, ut Sacrilegium ac Schisma?

an

an erunt tibi nutritij Reges, à quorum uberibus tantummodò lac temporalis cõmodi, non spiritualis emolumenti exugas? Primum igitur veniet in medium *Constantius*, venient innumeræ catervæ contradicentium. *Constantinus* hic igitur nomine Magnus, ac maximus, Τοῦτον πρὸ πάντων ἔκρινα εἶναι μοὶ προσήκειν σκόπον, ὅπως παρὰ τοῖς μακαριωτάτοις τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας τοῖς πλήθεσι, πίστις μία, καὶ εἰλικρινὴς ἀγάπη ὁμολογουμένως, περὶ τὸν παγκράτορα θεὸν εὐσέβεια τηρῆται. *Indicavi hunc mihi præcipuum scopum esse oportere, ad quem collimem, ut in beatissimis Ecclesiæ Catholicæ cœtibus, una sit Fides, & sincera Charitas, consona & consentiens pietas, ac Religio erga Deum omnipotentem custodiatur.* Huic autem strenuam ac indefessam operam navavit laudatissimus *Constantinus*, *Perquè idem servitium, quod erga Deum præstò* (inquit) *omnia ubiquè ordinantur, etiam apud exteras nationes*: quid est hoc aliud, quàm omnia universìm, & civilia & ecclesiastica? Ejus veritatis Elogio *Socrates* astipulatur, se de professo reges suæ historiæ Ecclesiasticæ inseruisse, quoniam inde usq; à regibus, qui Christo

Euseb. de vita Constan. lib. 3.

Euſ. de vita Const. lib. 2.

nomina

Res ecclesiasticæ pendebant ab Imperatoribus, simul & celeberrimæ Synodi ipsorum sententia indicebantur.

nomina dederunt τὰ τῆς ἐκκλησίας καθολικῆς Socrat. li. πράγματα ἤρτητο ἐξ αὐτῶν, καὶ μέγισται Σύνοδοι τῇ 5. in proe. αὐτῶν γνώμῃ γεγόνασί τε καὶ γίνονται. *Res ecclesiasticæ, pendebant ab illis, maximæque ac celeberrimæ Synodi ipsorum sententiæ indicebantur, hodiéque indicuntur*. Quorsum verò tot *Constantini*, aliorumque Imperatorum, summâ pietate fulgentium, regiarum Epistolarum Antigrapha, Decreta, Sanctiones, rescripta ex codice *Iustiniani*, passim ex constitutionibus Novellis, ex Legibus Franciæ enumerem, si non constaret apud omnes jus regium esse, ut leges ferant contra Iudæos, Paganos, Apostatas, Hæreticos, Schismaticosq; omnes, & jurisdictionem exercuisse in illo foro exteriore, primatumque suum obtinuisse? ut (nisi talpâ cæcior sis) obtutu oculorum hęc omnia quæ asserimus videre possis. *Summa Reip. tuitio de stirpe duarum rerum, armorum scilicet atque legum, venit, suamq; exinde munit: istorum enim, alterum auxilio semper eguit alterius, & tam militaris res in tuto legibus collocata est, quam ipsæ leges armorum præsidio servatæ* Lex unica, cod. Iust.

vatæ sunt : & Imperatores Gratianus, Valentinianus & Theodosius, *ad populũ vrbis Constantinopolitanæ : cunctos populos quos clementiæ nostræ regit imperiũ in tali volumus religione versari, quam* Divum Petrum *Apostolum tradidisse Romanis, Religio usque adhuc insinuata declarat, quamq; Pontificem* Damasum *sequi claret, &* Petrum *Alexandriæ Episcopum, virum Apostolicæ sanctitatis, ut secundum Apostolicam doctrinam, Evangelicamq; disciplinam, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, unam deitatẽ sub pari Majestate, & sub pia Trinitate, credant. Hanc autem legem sequentes, Christianorum Catholicorũ nomen jubemus amplecti, reliquos verò clementes, vesanósque judicantes, Hæretici dogmatis infamiam sustinere, divina primùm vindicta, post etiã motº animi nostri, quã ex cæleſti arbitrio sumpserimus, ultione plectendos.* Et idem etiam Imperator *Iustinianus* de quatuor sanctis Concilijs: *Sancimus igitur vicem Legum obtinere sanctas Ecclesiasticas Regulas, quæ à sanctis*

Lex prima.

Constitutio Novella 131

sanctis quatuor Conciliis expositæ, ac firmatæ sunt: hoc est, in Nicæna, *trecentorum decem & octo, & in* Constantinopolitana *sanctorum centum quinquaginta Patrum, & in* Ephesina *primâ, in qua damnatus est* Nestorius *& in Chalcedonensi, in qua* Eutyches *cum* Nestorio *anathematisatus est, prædictarum enim quatuor Synodorum dogma, sicut sanctas Scripturas accipimus, & regulas sicut Leges observamus. Vt autem omnis Ecclesiasticus status, & sacræ regulæ diligenter custodiantur, jubemus unumquemque Archiepiscopum, & Patriarcham, & Metropolitam, sanctissimos sub se constitutos in eadem Provincia Episcopos, semel, aut secundò per singulos annos, ad se convocare, & omnes causas Ecclesiasticas subtiliter examinare, quas Episcopi, aut Clerici, aut Monachi, ad invicem habeant, easque disponere, & super hoc quicquid extra regulas, à quacunque persona delinquitur, emendare:* Leg. 123. cap. 1.

emendare: Interdicimus autem Episcopis, &c. ad tabulas ludere, aut aliis ludentibus participes fieri, aut inspectores, aut ad quodlibet spectaculorum spectandi gratia venire: Cap. 11. *Omnibus Episcopis & Præsbyteris interdicimus, segregare aliquem à sancta Communione, antequam causa monstretur, propter quam sanctæ regulæ hoc fieri iubent: si quis autem præter hoc, à sancta Communione segregatur, solutus excommunicatione, à maiore sacerdote, sanctam mereatur communionem;* Et prefatione ad Constitutionem, 42. Novel. 42 *Rem non insolitam imperio, & nos facientes, ad præsentem venimus legem, quoties enim sacerdotum sententia, quosdam indignos sacerdotio, deposuit, de sacris sedibus, quemadmodum* Nestorium, Eutichem, Arrium, Macædonium, & Eunomium, *& quosdam alios ad iniquitatem non minores, totiès imperium eiusdem sententiæ, & ordinationis, cùm Sacerdotum authoritate fuit, sicquè* Divina & Humana *pariter concurrentia, unam consonantiam rectis sententiis facere.* Et *Epiphanio* Archiepiscopo scribens. Præfat. ad Novel, 6. *Maxima* (inquit) *in hominib° quidem sunt dona Dei, à superna collata*

collata clementia, Sacerdotium & Imperium, illud quidem divinis ministrans, hoc autem humanis præsidens, ac diligentiam exhibens, ex uno eodémque principio, utraquè procedẽtia humanam exornant vitam, ideóque nihil sic erit studiosum Imperatoribus, sicut sacerdotum honestas, nos igitur maximam habemus sollicitudinum, circa vera Dei dogmata, & circa sacerdotum honestatem. Ac ne prætexas hæc pro Lege data, vel *Mennæ* Archiepiscopo, vel *Epiphanio* novæ Romæ, non Romano Pontifici in mandatis data, vel rescripta talia abs Imperatoribus Orientis, nequaquam ab Occidentis *Cæsaribus*, lege, ac relege leges Franciæ, Præfationem *Caroli* in illas Leges, quas *Ansegisus* diligentèr studioséque colligebat: quas omnes, si dinumeres, centum sexaginta tres, sigillatim reperies, pro ordinatione rerum ecclesiasticarum per se, perque suos Officiales, ac Commissarios, Visitatores suos, authoritate regia communitos, proque reformatione Episcoporum, Sacerdotum ac Monachorum. Quid aliud egit *Carolus*, quàm

ut

ut docendo, edicendo, jubendo, injungendo, sanciendo, pro bono Ecclesiæ, & εὐταξία Reip. Christianæ, quæ suæ essent partes ostenderet? & sibi ob oculos posuit exemplum *Iosiæ* Regis, non quòd se cum illo Rege conferret, sed documentum ejusce zeli, sanctitatis, ac religionis, ad imitationem traduceret. Imitati autem sunt pari studio pietatis exemplum domesticum, & *Ludovicus*, & *Lotharius*, quorum uter Episcopos ad id operis obeundum, non solum libenter invitavit, sed etiam omnes sine exceptione edictis cõpulit salubribus, propterea; subjungit, *quæ generaliter de quibuscunque causis statuimus*, eosdemque Cognitores & Visitatores omni honore prosequendos esse, *tam in civilibus quàm in ecclesiasticis rebus*, utpote regia suffultos potestate, imperavit. Iam vero ut hoc te gladio authoritatis regiæ, ac sacrosanctæ potestatis jugulem, primatumque sereniſsimi *Regis Britanniæ* contra papales censuras, & Iesuitica Sophisimata astruam, *Constantinus* ille Magnus vel rectè fecit, vel perperam,

vel

vel legitimè fecit, vel tyrannicè, immiscendo se negotiis Ecclesiasticis? si primum, cur non & illius, & nostri Regis probabitur institutum? Si secundum, cur *Eusebius*, & deinceps *Socrates*, tantoperè laudant religiosum & jus & factum? pariformitèr, cùm *Iustinianus* jubebat, sanciebat contra nitentes suspendi, deponi ab officio, aliisque censuris plectebat, nihilquè exemptum ab Inquisitione Principis volebat, vel suo jure utebatur, vel non? Si in alienam messem falcem suam immittebat, alienumque jus sibi usurpabat, singulæ ferè Leges promulgatæ tibi ostendunt contrarium: sin suo jure utebatur, cur pari ratione, alii Reges Christiani suo jure non insisterent? Cùm de similibus idem sit judicium & nostræ sanctiones, sacros Canones imitari non dedignarentur. Rursus, vel *Carolus*, & *Ludovicus* ejus pius filius, & *Lotharius* Nepos erant ἀλλοτριοεπίσκοποι, vel non erant? sed non poterant dici à te, nisi ore maledico, ἀλλοτριοεπίσκοποι, quia

Possunt & hodie Christiani reges eodem iure primatus uti quia de similibus idem est iudicium.

sanctissimum regem *Iosiam* imitabantur, aliosque pios decessores suos in imperio, sin suo officio functi sunt, cur non & alij principes, pari zelo exardescentes ad religionis opus res Ecclesiasticas ordinarent, & cum illis optimis regibus, abusus tollerent, superstitiones eradicarent, canonicam conversationem sibi subditis, imperarent, Ecclesiasticam iurisdictionem exercerent, primatumque in Ecclesia obtinerent? Denique vel *Iacobus Rex* in suo regno idem factitat, vel diversum: si idem, cur non idem ius regium nobiscum defenditis? si diuersum, cur non hoc ostenditis, cum iusto scandalo Æmulorum, vel offendiculo paruulorum vestrorum? poteratne *Constantinus* in sua ditione? *Henricus Octauus* non poterat suum primatum asserere? Poterantnè *Martianus* & *Pulcheria* iubere pro veritate, & legum severitate omnia revincire? *Rex Edvardus* sextus & *Elizabetha*, fælicis memo-

Possunt & hodie Christiani reges eodem iure primatus uti quia de similibus idem est iudicium.

---

memoriæ *Regina*, non poterant? poteratne in sua ditione *Carolus magnus? magnæque Britanniæ rex Iacobus* non poterit in sua iurisdictione eundum primatum tenere? Veruntamen ut ad ea quæ abs te proposita, nullo tamen ordine, nulla methodo dispositа vel disquisita sunt, vel disputata, reuertar: An possit rex iure primatus Synodos indicere, ac præsidere in ijsdem Synodis, an constitutiones condere, an controversias circa fidem ac religionem, & audire & dirimere; beneficia conferre, episcopos constituere, ac deponere, delinquentes excommunicare, & similes actus Religionis excercere? Paucis accipe, quod sit in his regium ius, ut in posterum, tibi perpetuò importunum os obturetur, ne obtundas aures nostras sæpius interrogando. Et quidem ut ὕστερον πρότερον respondeam, excommunicationis censura, vel anathematismi, nec utuntur reges nostri, quod

tu vehementèr *Barieſuita* opinaris, nec tanquam igne fatuo vel fulmine bruto abutuntur, quod vestri Romani Pontifices facere consueverunt. Hoc præcipuè cavent, si qui in contemptum censuræ illius incurrerint, debito ordine plectantur, si qui ab ingressu Ecclesiæ cohibiti fuerint, in eorum contumaciam maturè animadvertatur. Beneficia autem curata, vel non curata, non conferunt omninò in quempiam, majora minoráve: multò minùs dignitates Ecclesiasticas, sive Episcopatus, sive Archiepiscopatus per universum ambitum Regni sui: eorum certè collatio, vel institutio est, quorum est destitutio, id est, Episcoporum comprovincialium, qui potestatem habent personas ipsas sacrandi.

Hoc habet juris regia majestas, quod minor & subordinata potestas habet, jus inquam nominandi, & præsentandi apud nos: & ad beneficia majora adipiscenda,

cenda, concedit suam regiam licentiam, eligendi canonicè personas idoneas, toties, quoties pastorali solatio eædem Ecclesiæ sunt viduatæ. Apagesis igitur fictionem tuam, vel potiùs alienæ Reipublicæ & Ecclesiæ ignorationem: neque mihi adlubescit hoc in loco illius obsoletæ quæstionis memoriam rursus refricare, quæ inter Imperatores, Regesque, ac Pontifices agitata est, de investitura Clericorum.

Ad illud, quod objcitur contra jus Primatus, & Conciliorum indicendorum, & præsidendi in Synodis, facilis ac brevis est responsio. A quibus magis æquum est, indici Concilia, quam ab illis, penes quos semper fuit authoritas ea congregandi? Cum autem communiter triplex poni soleat Concilium, *Generale*, *Provinciale*, & *Diœcesanum*, Concilium generale solius Papæ jussu celebrari vultis. Sed neque illud nisi ab Imperatoribus, ac Regibus simul consentientibus hodiè indici debet: Provinciale à

Metropolitano, cum suis suffraganeis; Diæcesanum ab Episcopo cum Curatis, Rectoribus, & Clericis diæceseos, cum venia ac licentia Principum, in suis regnis congregari fas ac æquum est, iniquissimum verò à Romano Pontifice, vel *Pharaone*, cujus nullum speciale privilegium tale est. Nam & ille rationem malè administratæ Reipublicæ Christianæ reddere tenetur, reusque peragendus est. Quòd si jus ad Pontificem Romanum spectat, tum illud absurdum sequeretur, rationem iniri nullam posse qua hæresibus ac scandalis occurreretur, nullum contra ipsum nolentem inveniretur remedium, quippe qui per se, vel delegatos suos Iudex sederet ac præsideret in fraudem totius Ecclesiæ. Impurioribus illis tempestatibus Ecclesiæ fieri potuit, at purioris Ecclesiæ temporibus non est factum. Etenim Nicæna Synodus à *Constantino* Magno indicta est, testante *Ru-*

lib. 1. c. 1. *fino, Tum Constantinus apud urbem Niceam, Episcopale Concilium convocat,*

factum

factum autẽ subjungit, *ex sententia Sacerdotũ*, sed nec illud Imperatoris authoritatẽ, vel sapientiã minuit, sed potiùs cõmunit, quippe quæ ex Senatus ecclesiastici cõsilio facit, nihilominùs propriâ potestate fultus facit. Ὁ Βασιλευς inquit *Socrates* scholasticus σύνοδον οἰκουμενικὴν συνέκροτει, & ante *Socratem Eusebius*, Ἐξαίρετον τῆ ἐκκλησίᾳ τὸ θεὸ τὴν πὲρ ἀυτῦ νέμων φροντίδα διαφερομένων πινῶν ωερὶς ἀλλήλους χῖ διαφόρας χῶρας, οἷα τὶς κοίνος Ἐπίσκοπος ὲκ Θεὸ καθεσταμένος, συνόδους τ τὸ Θεὸ λειτέργων συνέκροτει, tanquam communis Episcopus *à Deo constitutus, Synodos Dei servorum convocavit*, Et ibidem, κοινὸς των ἐπισκοπευμένων ἐγένετο τὰ τῆς εἰρήνης τὸ Θεὸ βραβευων τοῖς πᾶσι. Deinceps verò Constantinopolitanum Concilium primum, à *Theodosio* seniore coactum est, & simul ac imperium sumpsit, præ omnibus de Ecclesiæ concordia cogitavit, χ τῆς ὀικείας ἡγεμονὶας ἐπισκόπους εἰς τὴν Κωνσταντινόπολιν δραμεῖν παρηγγύησε, id est, *Venire præcepit* Præsules, & Episcopos, quorum

lib. 1. *c.* 7.

Euseb. in vit. Const. lib. prim.

Theodos. eccl. hist. lib. 5. *c.* 6.

rum Diæceſeos *Arrianæ* hæreſeos labes pervaſerat in Oriente; nam Occidens iſto morbo liber permanſerat, *Conſtantino* & *Conſtante*, adhuc fidem patris *Conſtantini* ſervantibus. Poſtea Epheſina Synodus *Theodoſii* junioris mandato indicta eſt, qui Epiſcopos juſſione regia Epheſum venire præcepit, ſicut in Concilio Chalcedonenſi, ſancta & magna univerſalis Synodus (ipſis patribus Concilii fatentibus) ſecundum gratiam Dei, & ſanctiones piiſſimorum Imperatorum *Valentiniani* & *Martiani* congregata eſt: ergo nec à *Sylveſtro*, nec *Damaſo*, nec *Cæleſtino*, nec *Leone*, Pontificibus Romanis id pro ſuo arbitratu imperantibus, ſed ſupplicitèr rogantibus, unumquodque eorum indictum eſt, quemadmodum & ſequentes Synodi. Synodus quinta in Conſtantinopoli contra *Theodorum Mopſueſtenum*, & omnes Hæreticos, qui *Theodorus* dicebat aliud eſſe Dei verbum,

& aliud Christum, & sacram virginem *Mariam* negabat esse dei genetricem, à Iustiniano principe cogebatur, *Vigilio papa Romano, Domnino Antiocheno, Eutychio Constantinopolitano adnitentibus*, & Synodus sexta Constantinopolitana, contra *Macharium*, *Antiochenum* episcopum & socios, qui unam voluntatem & operationem in Christo falsa opinione asserebant, temporibus *Constantini* principis, *Agathone* papa, & *Georgio* Constantinopolitano strenuam operam illi hæresi damnandæ navantibus. Longum esset de omnibus synodis catologum texere. Abundè liquet ex concilijs ipsis, ex historia Ecclesiastica, prouincialia concilia & nationalia ab Imperatoribus ac Regibus fuisse congregata, nec ipsos ab omni procuratione Ecclesiæ excludi oportere. Quo igitur iure tantam sibi potestatem arrogat pontifex solus, ubi nullus plane est? Num divino aut humano? at in

vetere testamento, non erat *Aaronis* sed *Mosis* prærogatiuæ ius, qui erat supra seniores septuaginta, ex quibus Hierosolymitanum concilium constitutum e-
Iosuæ. 24. rat: erat *Iosuæ*, qui vocavit maiores natu Israel, ac principes, iudices, & magistros: erat *Davidis*, *Solomonis*, *Iehosaphat*, *Ezechiæ*, *Ioæ*, qui leges Levitis et universo cætui dederunt, cum illis verbis solennibus, *Audite me Levitæ, & sanctificamini, & auferte omnem immunditiam de sanctuario*: erat Apostolorum omnium, non unius tantummodò, & indicere & statuere cum pari verborum solennitate, *Visum est Spiritui sancto & nobis*. Sed nunquid humano iure? at id praxi Ecclesiæ pro annis octingentis supràque, é diametro repugnat. Nullo igitur iure, vel Synodos indicendi, eisdemque præsidendi, prærogatiuam adeptus est, ut solus, ut unus, toti orbi Christiano imperitet. Et si veteres illos Romanos Episcopos audiat, certe reperiet sibi adversantes. Sed vel suos vel nostros audire consentaneum rationi est:

si

si suos: Cusanus dicit *Imperatores sanctos, congregationes Synodales uniuersalium conciliorum semper fecisse, usque ad octauum, inclusiuè*, Basilij *tempore celebratum, verum esse reperi*: Idem affirmat Sylvester Prierius, *Olim multa concilia per Imperatores fuisse congregata, & quod papa nolente interdum, potestas conuocandi concilium deuoluitur ad Cardinales, Imperatores, Reges, Principes & alios*. Si alios audiat, tum illud luce clarius est, & Episcopis Romanis interdum volentibus, interdum nolentibus, concilia esse indicta, sæpius vero supplicantibus, atque idipsum a Romanis Imperatoribus exposcentibus, nunquam inuitis, perrarò inconsultis regibus ac principibus. Quare *Leo* ad *Theodosium generalem* (inquit) *Synodum iubeatis intra Italiam celebrari*, nec tamen illud obtinuit: & *Liberius* Imperatorem alloquens, *Iudicium haberi iubeto*, id est Iudicium in synodo: & concilij Aquileiensis patres, *Gratiano, Valentiniano*, & *Theodosio* supplicantes, ita præfantur honoris causa ac authori-

Lib. de concor: Cathol. 3. cap. 13.

In summa verb. concil.

Epist. 24

Theodoret hist. l. 2 cap. 16.

In præfat: cone: Aquileiens: ratis, *Ad removendas altercationes, congregare ſtuduiſtis ſacerdotale concilium,* & in concilio Aureliæ, ex preceptione regum ſe conveniſſe profitentur, concilium denique Turonicum ſecundum authoritate regis *Arithberti* coactum ſuiſſe liquet. *Hieronimus* pro re peregrina ac inſolita habet, ſine imperatoris iuſſione concilium indici, *Quis Imperator hoc concilium iuſſerit convocari?* & ut ad illum revertar à quo tanquam à fonte hæc iuriſdictio in exteriore foro profluxiſſe videtur, *Iſidorus* atteſtatur Imperatorem *Conſtantinum* facultatem dediſſe Chriſtianis liberè congregari, quandoquidem *Æneas Syluio* teſte, ante ea tempora, Nicæni ſcilicet concilij, paruus habebatur reſpectus Romanæ Eccleſiæ: ex quibus omnibus antegreſſis ſic concludo. Si multis retroactis ſæculis *Lotharius* nepos, & *Ludovicus* pius filius *Caroli* Magni, ſi ipſe *Carolus* Magnus, conſtitutiones, vel inſtitutiones canonicas, ſub ipſorum nomine & authoritate emanare paſſi

Lib. 2. apol. cont. Ruffinũ.

T. cap. canon. diſtinct. 15. Epiſt. 118

passi sunt, & tanquam leges plebi Dei scribi voluerunt, si ante eos *Iustinianus* Imperator, alijque, *Martianus* & *Valentinianus*, *Theodosij ambo*, *Honorius*, et *Arcadius*, pro ipsa veritate contra errorem iussérunt, & multa salubria edicta promulgaverunt. Si denique ante omnes, *Constantinus* iurisdictionem Christianam exercuit in Ecclesia Christi, quantum quæso absumus ab isto primatu *Cæsareo* et regio astipulando et comprobando? Præsertim cum *Constantinus* Magnus tanquam Episcopum τῶν ἐκτὸς se gesserit, id est, in foro exteriore, cui acroamati libentèr audiendo se interfuisse dicit *Eusebius*, & mihi commemorare opportunum, & plurimi faciendum hac in causa & tempore

Λόγον ἀφῆκεν ὡς ἄρα εἴη καὶ αὐτὸς Ἐπίσκοπος ὧδέπη αὐτοῖς εἶπων ῥήμασιν ἐφ' ἡμετέραις ἀκοαῖς, ἀλλα ὑμεῖς μὲν τῶν εἴσω τῆς Ἐκκλησίας, ἐγω δ' τῶν ἐκτὸς ὑφ' ὑμῶν καθεσταμένος ἐπίσκοπος ἂν εἴην. *In vita Constant: orat. 4.*

Vos

Constantinus Episcopus eorum quæ sunt extra, & tanquam communis episcopus a deo constitutus, non eorum quæ sunt intra Ecclesiam.

Vos episcopi eorum quæ sunt intra Ecclesiam estis, ego episcopus eorum quæ sunt extra. Ac si dixisset, vestro oneri ac muneri Pastorali ac Episcopali, verbum, sacramenta, censuræ Ecclesiasticæ, clavium ius, res denique ipsæ spirituales concreditæ sunt; ego, ὁ α τὶς κοίνος ἐπίσκοπος ἐκ θεᾦ καθεσάμενος *tanquam communis episcopus* ἢ τῶν ἐπισκοπουμένων κοίνωνος, eorum quæ episcopalis superuisionis essent particeps, curam ac sollicitudinem gero. Cumque idem *Constantinus*, quem admirabilitèr laudari semper faciemus, non ausus est *Primum* de causa Episcopi Cæciliani iudicare, sed discutiendam eam, atque finiendam Episcopis delegabat, *quod factum est in vrbe* Roma, *præsidente* Miltiade, *cum multis collegis suis, qui* Cæcilianum *innocentem absolverunt*, Donatum *sententia percussserunt*, iterumque ex Donatistarum obmurmuratione atque querela, clementissimus Imperator, *Alios Episcopos iudices dabat, apud Arelatum Galliæ civitatem,*

Lib. 10.

Aug. Ep. 166.

civitatem, à quibus ad ipsum Imperatorẽ appellatum est, donec etiam ipse causam cognosceret, *qui Cæcilianum innocentem, ipsos calumnioſos pronuntiavit*. Si inquam ille Imperator causas ecclesiasticas dijudicandas, earundemq; appellationes suscipiebat, in medio Episcoporum, & sedebat & præsidebat, subscriptiones urgebat, sanctiones & decreta Concilii sigillo suo firmabat: Si *Theodosius* alter in causa *Flaviani* decernebat, alter quînam essent *Omœousiani*, quique *Omousiani* discernebat. Si *Martianus* in moderamine Concilii Chalcedonensis, quod æquum ac bonum esse jubebat; Si *Mauritius*, *Gregorio* Magno ut pacem & communionem coleret cum *Ioanne* Constantinopolitano, quod olim *Constantinus* Magnus Magno *Athanasio*, ut *Arrium* Hæresin suam dissimulantem, ejusque sectarios reciperet, idque sub pœna depositionis, vel deprivationis imperabat, quod acutè *Socrates* in Historia Ecclesiastica annotavit,

Socrat. lib. 1. *cap.* 27. ἐαν ὁ γνῶ *si sciuero*, minaci edicto proposito, inquit imperator, ὡς κεκώλυκας τινὰς ἑαυτῶν τῆς ἐκκλησίας μεταποιουμένους ἢ ἀπείρξας τῆς εἰσόδου, ἀποστελῶ παράχρημα τὸν καθαιρήσοντα σὲ ἐξ ἐμῆς κελεύσεως. *Quod interdixeris aliquibus qui Ecclesiam sibi uelint asciscere, vel excluseris ab Ecclesiæ ingressu, statim missurus sum aliquem, qui deponat te ex meo mandato.* Causa opinor expeditissima est, ius *Cæsarei* & Regis primatus si uti velit testatissimum est. Nec tibi ulla iusta ratio subest, ut id reijcias, vel obijciat nobis quispiam ex tuis, *Valentiniani* senioris ignorationem iuris sui, vel timiditatem, qui noluit iudicare inter Epis-

Amb. lib. 5. *Epist.* 32. copos. *Non est meum* (*inquiens*) *iudicare inter Episcopos*, in casibus scilicet fidei, inhabilem se ponderi tanti putabat esse iudicij: vel præsumptionem & temeritatem nondum baptizati *Valentiniani* Iunioris, qui iudicare voluit inter *Ambrosium*, & *Auxentium* in causa fidei, ac eo vsque prorumpebat. *Ego debeo*

iudicare

iudicare utrum Christus sit Deus necne, is enim status & κριτήμενον quæstionis, ac controuersiæ, inter utrumque *Ambrosium* Episcopum Catholicum, *Auxentiumque Arrianum*, multo minus exprobret nostris principibus furorem, tyramidemue *Constantij*, qui cuncta substernebat voluntati, ac violentiæ suæ sine Synodali & Ecclesiastica cognitione, seque Episcoporum principem in decernendo faciebat, & præsidebat iudicijs Ecclesiasticis, *quod ego volo*, inquiens in causa subscriptionis contra *Athanasium, pro canone sit, ita me loquentem Syriæ Episcopi sustinent, aut ergo obtempe-rate, aut uos quoque exules estote*: atque iccirco nota Antichristi insignitus ab *Hosio*, *Leontio*, *Hilario*, utpote fidei subversor, & canonum contemptor, male audiebat. Summa omnium est, ut rex in suo regno omnibus superior, nulli subditus, ab externa quacunque potestate (maxime pontificia) liber & immunis

Athanas: Ep. ad solitariam vitam agentes.

sit, itâque sit omnibus maior, & solo Deo minor : supremus etiam sit, non supra res, sed supra homines, *nam quæ divina*
Amb. l. 5. Epist. 33. *sunt, imperatoriæ ac regiæ potestati non sunt subiecta*, profitemur cum *Ambrosio*. Fidei Iudex ne appelletur quidem, *iudicet enim Christus* celeberrimum illud
August. de nupt: ad Valent. l. 3. capite 33 axioma vsurpemus cum *Augustino*: novas autem vel diversas fidei formulas ne procudat, quanquam Iudex non est, sit διακρίτης non κρίτης, in foro autem exteriore, per se, vel per suos delegatos iudicium excerceat, ne a maioribus suis degener sit, antiquæ orthodoxæ, avitæ fidei defensor sit, εὐταξίας omnium personarum civilium, & temporalium moderator sit, res divinas non suæ libidini, sed se rebus divinis subijciat, zizania hæresium, schismatum, ac id genus alia sedulò ac diligentèr radicitùs evellat, ex consilio *Theologorum* & *Iurisconsultorum* prudentia, singula sapientèr administret, veræ fidei, verus defensor et custos sit, ac contrariæ vindex, solus denique

què coactiuam potestatem, directiuam cum alijs habeat, quod est quiddam quasi perpetuò suæ coronæ annexum, hoc est, ut vno verbo complectar, primatum Christianum Christiani principis in Ecclesia Christi sub Christo habeat.

An Rex iure naturali habeat primatum Ecclesiæ

Caput. I.

HACTENVS de jure primatus regij paulo fusius disserrui ne incassùm digladiareris, cum larua, vel spectro phantasmatis proprij, vel inanitèr colluctareris, cum assertione nostra: iam vero ad amussim examinare æquum est argumenta tua contra primatum

tum regium, priusquam in causa cadas, necesse enim est ut lancem in libra ponderibus impositis deprimi, sic animum tuum veris ac perspicuis cedere. Sic igitur ais, *Iure naturali sibi primatum deberi, ne ipse quidem Rex ausit affirmare*, & tamen tu non sapiens, sed scriba, et συζητητὴς conquisitor huius sæculi, non disputator subtilis, re non intellecta, eundem primatum ausus es negare. Iure naturali debere sibi, *non est ausus affirmare?* Ambiguum fortassis tibi est ius naturale, quo nec definire nec tribuere in partes voluisti. *Ius naturale, est aut civile, aut gentium* (inquit Isidorus) *ius naturale est commune omnium nationum, eò quod vbiquè instinctu naturæ, non constitutione aliqua habeatur, ut viri & fœminæ coniunctio, communis omnium possessio, una omnium libertas, & acquisitio: violentia per vim repulsio &c. Ius civile est, quod quisque populus, vel ciuitas, sibi proprium humana, diuinaq; causa cõstituit.*

Isodori Hispal. Episc. originum lib. 5. cap. 4.

Ius

Ius *gentium eſt, quod eo iure omnes ferè gentes utuntur, ut ſedium occupatio, ædificatio, bella, captivitates, ſeruitutes, fœdera, inducię, connubia inter alienigenas prohibita*, & id genus alia. *Ius naturale primum eſt, quod deus omnia animalia docuit, tam bruta, quam quæ ratione donauit:* Ius naturale, authore *Thoma*, a jure gentium diſtinguitur, quòd *procedit à naturali ratione non abſoluta, ſed quæ alterius vtilitatem, vel quod conueniens ſit reſpiciat; ex quibus manifeſtum eſt, quamobrem ius gentium à Iureconſultis ius naturale quandoque dicatur, & quandoque à iure naturali diſtinguatur.* *Couarruuias. ſec. partis relect. Sect. 2. tom. 1. In dist. art. 3. quæſt. 57.*

Quorſùm verò cùm ius naturale ità confuderis, ineptè quæreres an iure naturali vel Regius primatus, qui eſt verus, vel pontificius, qui fictitius ac falſus eſt, conſtare debeat? Etenim & rectæ rationi, & naturæ legi congruentiſſimũ eſt, & Deus ſic hominum genus condidit, ut alij in ſcientijs & virtutibus priores ſint alijs, ita

Plato in dialog. 3. de ligibus, cui accedit *Aristoteles*. 7. politic: & Sanctus *Augustinus* super Genesim; *est etiam* (inquit) *ordo naturalis in hominibus, ut seruiant fœminæ viris & filij parentibus &c.* minus sapientes sapientioribus. *Seruitus autem, ipsa quam diximus natura constitui, non pertinet ad coactionem, nec necessitatem, nec ad dominium, sed ad honorem & reuerentiam*, debitam senioribus à iunioribus, generosis ab ignobilibus, parentibus à filijs, marito ab vxore, vel adutilitatem ipsius seruientibus qualis est illa quæ minus sapientis ad sapientiorem: cui suffragatur *Iohannes Driedo* in lib. de libert: Christiana. l. 1. pag. 8. *Secundum ordinem conditionis naturæ omnes à Deo conditi sunt in* Adam *æqualiter liberi, ab omni malo, ab omni seruitutis incommodo, mansissent quoq; sub illo statu omnes homines pares, secundum paritatem libertatis, à culpa & miseria, sed non pares secundum paritatem in talentis naturæ, in perfectione iustitiæ, scientiæ,*

scientiæ, prudentiæ, siquidem alij magis, alij minus extitissent sapientes: fuisset quoque dominium unius super alios, non pro suo ipsius incommodo dominantis in illos tanquam in servos, nec ut prouidentis & consulentis illius miserijs & imbecilitati, sed ut consulentis & dirigentis illos ad ampliorem sapientiam, disciplinam, iustitiam & providentiam, atque vtentes voluntarijs obsequijs illorum obedientium, non solum absquæ omnis laboris molestijs, sed cum gaudio cordisque lætitia: quemadmodum nunc justi principes imperant, non cupiditate dominandi, sed officio consulendi. Sed ista eminùs: nam comminùs congrediar. Sereniſſima Regis maiestas (inquis) *ne audet quidem affirmare.* Tu scilicet (mi homo) magis perfrictæ frontis quàm sanæ mentis obstinatè negas, et congeriem quandam plurium conclusionum ex unica præmissa ratione infers, quia *civilis vel politicus status ex natura rei distinctus est ab Ecclesiastico:* vnde tria deducis cõsectaria. *Ergo* (inquis)

habet distinctam tribunal, ergo distinctum præsidem vel *iudicem*, ergo etiam distinctam jurisdictionem; & hæc omnia *ex natura rei habet, & ex iure naturali & præcisè*. Et *Rex habens iurisdictionem in tribunali Politico, non habet in foro Ecclesiastico, & vicissim Episcopus habens iurisdictionem in foro Ecclesiastico, non habet ex natura rei in temporali.* Sed argumenti levitas, ingenij uanitatem coarguit. Cum enim syllabatim ista dixeris, vel potiùs effutieris, habes ex nostris neminem tibi contradicentem, habes ex tuis quotumquemque feré non repugnantem, habes temetipsum tibi refragantem. Duæ sunt potestates publicæ; altera ciuilis, altera spiritualis, duo sunt tribunalia, alterum status politici, alterum Ecclesiasticæ politeiæ, duæque jurisdictiones eisdem pro tribunalibus exercentur. Sed jurisdictio quæ Ecclesiæ propria ac genuina est, gemina est: partim fori interioris, partim fori exterioris, vtraque

ex


ex Deo, (potestates enim quæ sunt, à Deo sunt) potestas autem quæcunque legitima, Dei ordinatio est. Vides igitur (*Becane*) originem & ptopagines utriusq; potestatis, vides etiam discrimen & distinctionem, altitudinem & præcellentiam, unius præ altera, & tamen subordinationem illam quo modo una potestas alteri subserviat & subjungatur, & illud commune vinculum Dei verbum (quo inter se contineantur) omninò non vides. Ex quo autem principio tam regalis quàm sacerdotalis potestas, tanquam à suo fonte, derivetur, ac dimanet, breviter perpendendum est: potestates quæ sunt à Deo sunt, ita monet divus *Paulus*, & non est potestas nisi à Deo. Hæ propositiones æquipollentes ambæ dicuntur, tantundem enim est, ac si diceretur affirmativè, Omnis potestas à Deo. Vt summa igitur ac suprema Regum authoritas, ita summa ac suprema Sacerdotum potestas, à Deo est, data quidem Christo, sed commodata hominibus. *Mihi data est omnis potestas in cælo, & in terra:* *Rom.* 13. *Mat.* 28.

&

Prou. 8. &, *Per me Reges regnant* (inquit Chriſtus Filius Dei) *& gubernatores juſta ſciſcunt*, per me Principes imperant, illuſtreſque ſunt omnes orbis Præſides. Ne igitur in fraudem illectus eſſe videare, quod ego jamdudum hortor id magnopere abs te peto, ut *Horatiano* illi adoleſcentulo,

—vel puero tibi ſic dem cruſtula blanda,
Vt Logices elementa velis modo diſcere prima.

Sic igitur facilioris cognitionis cauſa hæc axiomata diſtribuamus,



In quibus univerſalis affirmativa Propoſitio veriſſima eſt, et Apoſtolus paſſim habet: poteſtates quæ ordinatæ ſunt, ſcilicet legitimæ, omnes à Deo ſunt, ceteræ quæ tyrannicę ſunt, non jubentur ſed permittuntur, cur autem permittantur vel impro-

Aug. lib. 22. contra Fauſt.

improbis concedantur, non semper cognosci potest ab hominibus, illa verò potestas justa & legitima, constituitur ad mundi ordinem conservandum. Negans autem universalis propositio semper falsa est, si de legitima potestate intelligatur: jam verò propositiones ex parte affirmantes, & ex altera parte negantes, imitantur veritatem vel falsitatem generaliũ propositionum. Veruntamen quia tota controversia, & lis nostra versatur de ea potestate, quæ fori exterioris est, sicut à teipso dudum quæstio constituta est, iterum videamus quę sit illa jurisdictio quæ tributa est Regibus, & Sacerdotibus in foro exteriore Ecclesię: & huic proposito applicemus quæ sunt antè distributa.



Rursus suo quasi sæpimento obvallemus,

&

& suo discrimine separemus ambas potestates, illæ enuntiationes quæ ex toto, vel ex parte aiunt, veræ comprobantur; quæque ex toto negant, vel ex parte simul falsæ dignoscuntur: Porrò, omnis vel aliqua potestas, ordinata & attributa Regibus, vel subordinata & concessa Sacerdotibus in foro exteriore, à Deo est, & ea quidem suis finibus circumscribitur, ac disterminatur. Nulla potestas transcendens, vel infinita à Deo est, vel talis aliqua potestas, qualis Pontificum Romanorum, à Deo non est. Omnis denique suprema, vel summa potestas, sive Regum & Principum in foro exteriore Ecclesiæ, quam superiùs meminimus, à Deo etiam est, sive Sacerdotum in foro interiore, aliquaque potestas eorundem in foro exteriore ex uno eodemque principio, scilicet à Deo est. Tribuamus jam singula singulis, & alteram potestatem alteri subordinemus, propter utriusquè commune bonum & commodum. Sacerdotum est, sive sint Apostoli, sive Prophetæ, sive Evangelistæ, Pastores denique vel Doctores, ut Ecclesias fundent, easdemq; fundatas,

fundatas, & plantatas Dei verbo, irrigent & stabiliant. Regum & Principum, ut subsidia stabilitatis illis ipsis Ecclesijs largiantur, & gladio defendant. Rursus, Sacerdotum est, ut pascant; Regum, ut nutriant Ecclesias: Sacerdotibus, animarum est cura & regimen; Regibus, corporum, id est, omnium personarum protectio ac gubernatio concredita. Sacerdotibus, verbi divini ac Prophetiæ interpretatio, Regibus, utriusque tabulæ custodia assignata est: penes utrosque incolumitas ac salus populi Dei reposita atque asservata est: Proinde & Sacerdotes & Reges mutuam sibi opem & auxilium ferre debent, nec functiones dispares studium adjuvandi ac conservandi alterutrisque auferrent. Nam & Episcopos posuit Spiritus Sanctus *regere*: id est, ποιμάνειν, vel pascere *Ecclesiam Dei*. Reges autem & Principes Christianos præposuit Ecclesiæ, id est, omnibus personis Ecclesiasticis, *Vt tranquillam, quietamquè vitam degamus, cum omni pietate ac honestate*. Et si pro Regibus Ethnicis orandum fuit, illo

Act. 20.

illo tempore, cur non magis isto, uti priscis temporibus Ecclesiæ, pro Christianis regibus, & omnibus potestate pollentibus magis magisque orandum fuerat, præsertim cùm non sit finis tantummodò naturalis (quod tu vis) pax & tranquilitas Reipublicæ, sed supernaturalis, nempè pietas in hâc vita sequenda, & in vita cœlesti æterna beatitas consequenda. Regibus honos maximus debetur, reverentia Sacerdotibus: hij pro animabus nostris invigilant, ut qui rationem reddituri sunt, illi in excubijs collocati sunt, pro tota Ecclesia & singulis partibus, & cunctis ordinibus: hijs cura præcipua, ut pacem Ecclesiæ foveant, illis ut dissidia removeant & tollant: hij summoperè cavent nequid detrimenti capiat Respublica Christiana abs idololatris, atheis, hæreticis, schismaticis, sacrilegis, illi ut multum adjumenti ac emolumenti accedat, ex universi ovilis defensione, à lupis rapacibus, sive clandestinis, sive exteris hostibus: Postremò, Sacerdotes æstimandi ut *Ministri Christi, & dispensatores mysteriorum Dei,*

1. *Cor. c.* 4

Reges

Sacerdotum omnis iurisdictio in foro interiore, regum nulla.

Exterior iurisdictio partim per Reges partim per Sacerdotes exerceatur.

Reges honorandi ut Dei locum tenentes & vicem gerentes, tanquam in terris cœleste Numen præferentes: hi corporalem gladium, illi spiritualem contra omnes mortales distringunt. Ac ut ad rem ipsam, de qua tanta ambitione contenditur à vobis propiùs veniam & contraveniam. Istorum scilicet sacerdotum omnis jurisdictio in foro interiore, Regum nulla. Cùm autem exterior jurisdictio, partim per reges, partim per sacerdotes exerceatur, illa pars quæ censuras complectitur sive admonitionis publicæ, & reprehensionis, suspensionis, excommunicationis, & anathematismi, sacerdotum illiusmodi potestate suffultorum propria ac sola est, regum nulla est, eorundemque sacerdotum par jus est, & manuum impositionis, & personarum consecrationis. Mixtum autem jus & resultans ex utroque, & jure regio & episcopali, est legum sanctio, & Synodorum indictio, & præsidendi in ijsdem prærogativa, & controversiarum

versiarum decisio, & beneficiorum collatio, & Clericorum investitura, & Episcoporum constitutio, & depositio, aliorumque actuum, qui his finitimi sunt, exercitium, quæ ferè ab origine Primatus regij descendunt, & communicantur Sacerdotibus, & jussione Regum usurpantur, & ex favorabilium Legum indulgentia, bonâ cum venia Principum maximè derivantur. Tantum igitur abest ut concessionem istam à benignitate & ab authoritate Principum fluentem ipse neges, & exemptionem Clericorum cum *Bellarmino* prætendas, quam contra *Barclaium* affirmat, inquiens: *Etsi professio Christiana non eximebat Apostolos, tamen principatus Apostolicus eximebat eos à potestate temporali.* Vt gnaviter impudentes & insigniter ingrati sitis, qui jurisdictionem Imperatorum, Regum, ac Principum in rebus Ecclesiasticis supra omnes personas cum humilitate ac pietate non agnoscitis.

Bellarm. con. Barclaium, c. 3. p. 41.

Per-

Pertædeat te igitur (*Becane*) aliquando conclusionum quotidianarum tuarū, & prioris de potestate duplici, civili & ecclesiastica, & posterioris de utriusque potestatis discrepantia & exuperantia unius præ altera: hæc enim in doctissimorum virorum auribus non tam commentaris, quam comminiscaris, si ad primatum regium, quicquam facere putes, convellendum. Sed differunt istæ geminæ potestates, inquis, & fine, & medijs, & ex parte causæ efficientis, & ratione dignitatis, quę omnia vel saltem aliqua nequaquam admiserim. An non summa potestas ecclesiastica quæ est sacerdotum in foro interiore, & suprema potestas Regum in foro exteriore, salutem animarū potissimùm intuetur? An non pars utraque sancit & suadendo, & jubendo pro veritate, & divini verbi authoritate se communit? An non potestates ambæ, Deum præpotentem authorem, & adjutorem nanciscuntur? An non omnis potestas de cœlo est? & non est potestas nisi à Deo? Vt igitur potestas Ecclesiastica

suprema à Deo solo sit, loquor de potestate interiore, prædicandi verbum & administrandi Sacramenta, ligandi, obsolvendique in cœlis,, quæ ligata & absoluta prius fuerant in terris, licet ratione reginiinis animarum, ædificationis Ecclesiæ, cognitione filii Dei, consummationis Sanctorum, omnibus numeris solatij & perfectionis sit absolutior civili quacunque potestate: haud tamen inde sequeretur, ut potestatis eminentia illi ipsi temporali potestate præfulgeat, quæ omnia bona jubet, vetatque contraria pro Christo & Ecclesia, multoque minus tam infinita intercapedo, & diastema inter utramque potestatem interjiciatur. Multa dicunt sanctissimi & antiquissimi Patres, veré ad hanc potestatem spiritualem amplificandam, quædam verisimiliter κατ' ὑπερβολήν nonnulla, quæ ut cautè legenda, ita ut sapere possimus ad sobrietatem etiam intelligenda sunt: nullà ratione vobis distorquenda, quod sæpenumerò facere soletis. Præclarè *Cyprianus*. *Manifestum est, ubi, & per quos remissa peccatorum*

Lib. de vnit. Eccle.

catorum dari posit, quæ in Baptismo scilicet datur, nam Petro *primum Dominus (super quem ædificavit Ecclesiam, &c.) potestatem istam dedit, & post resurrectionem quoque ad Apostolos loquitur, aiens, Sicut Pater misit me, & ego mitto vos, &c. unde intelligimus, non nisi in Ecclesia præpositos, & in Evangelica lege, ac dominica ordinatione litere baptizare, & remissam peccatorum dare.* Nempè, illa potestas erat prædicandi omni creaturæ, & baptizandi, ac etiam ligandi ac solvendi, quippe mittuntur in universum orbem, fulti sacerdotali authoritate; & si quisquam sobriè loquutus est, is beatissimus Martyr *Cyprianus* est. Non multum huic dissimilis est Sanctus *Cyrillus. Vniversum orbem illuminare iussit* (Christus,) *columnæ enim & robur veritatis discipuli sunt quos ita dicit mittere, sicut ipse missus est, ut etiam apostolatus dignitatem ostenderet, & magnitudinem potestatis eorum aperiret.* S. *Nazianzenus* magnificentiùs loquitur, majoriquè laude prædicat jurisdictionem Ecclesiasticam, sed nisi de interna, potius quàm de externa authoritate intel-

& Epist. ad Iubaianum.

Lib. 12. in Iohan. ca. 55.

ligatur, fortassis fimbriam stolæ Pontificiæ paulò ampliùs dilatat. *An me liberè loquentem æquo animo feretis*, Imperatorem alloquendo, *quod facere debetis, propterea quod & vos lex Christi meæ potestati & tribunali subiecit, nos enim Episcopi habemus imperium & excellentius & perfectius vestro.* Nisi dixeritis spiritum carni & cœlestia terrenis esse subjecta. Eisdemque laudibus, Sanctus *Chrysostomus* potestatem spiritualem exaggerat, quæ etsi per homines exerceatur, non humana sed divina & cœlestis dicenda est, utpote tribunal quod in cœlis sit, & regendo & dirigendo jubeat; idemque, *Nemo contemnat vincula ecclesiastica, non enim homo est qui ligat, sed Christus* qui nobis hanc potestatem dedit. Et qualia sunt vincula ostendit. *Habent quidem & terrestres Principes vinculi potestatem, verum corporum solum: Sacerdotes animarum.* Habebant Apostoli, apostolicique viri potestatem extraordinariam, sed ordinariam solummodo reliquerunt successoribus & posteris in Ecclesia, & uniusmodi ac non disparem,

Orat. ad cives timore perculsos.

Lib. 3. de Sacerd.

de verbis Esay, Ho. 5. Vidi Dominum.

Homil. 4. in Hebr.

Lib. 3. de Sacerd.

disparem, & pariter omnibus Episcopis & sacerdotibus communiter dispertitam. Quicquid autem dixerunt saniores & seniores Patres de potestate, quæ oves Christi dirigat, easdemque corrigat ac coerceat, quibuscunque demum superlationibus & Hyperbolis usi fuerint, nihil ad immensam illam altitudinem, potestatis pontificiæ extruendam facit. Dicat Apostolus, *Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Deo, in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam*, pro distinctione utriusque gladii temporalis, & spiritualis parum facit, pro sublimitate infinita principatus ecclesiastici omninò non facit. Dicat postremò *Innocentius* tertius, cæcus amore sui, ac ambitione inflatus, vel testimonium, vel judicium det in causa sua, non est testis, non est judex idoneus, ne audiendus quidem, hunc tamen ita loquentem introducis: sed ego malim ipsissima verba Pontificis fastuosi allegare: illa enim recitare, refutare est, ex ore superbiæ Antichristianæ prodeuntia. Præterea inquit (illustrissimo Imperatori

2. Co. 10.

Innocen. 3 cap. solitæ de maior. & obedientia.

tori Constantinopolitano scribens) tum locum illum *Petri* Apostoli: *Subditi estote omni humanæ ordinationi*, vel creaturæ, *propter Deum, sive regi, tanquam præcellenti, &c.* Tum *Ieremiæ* Prophetiam, vel potiùs Dei ipsius loquelam corrumpens, ac interpretamento contaminans. *Ecce ego constituite super gentes, & regna, ut evellas, & dissipes, ædifices, & plantes*: statim subjungit, prætereà nosse debueras, quod *Fecit Deus duo magna luminaria in Firmamento cœli.* Luminare majus, ut præesset diei, & luminare minus ut præesset nocti: utrumque magnum sed alterum majus; ad Firmamentum igitur cœli, id est, universalis Ecclesiæ, Deus duo luminaria magna, id est, duas instituit dignitates, quæ sunt pontificalis authoritas, & regalis potestas: sed illa quæ præest diebus, id est, spiritualibus major est, quæ verò carnalibus minor, ut quanta est inter solem & lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur. Hæccine scribere decuit tantæ majestati? quis hanc ferre,

Epist. 1. *cap.* 2. *ve.* 13.

&

& non fastidire, poterit impudentiam, & non propulsare contumeliam? quęnam hæc ius est illata sacris Scripturis? injuriã dicam *Cæsareæ* an blasphemiam divinæ Majestati intortam? Illuserat forsan Apostolus, cùm ita scribebat in re seria. Scribebat enim (*Subditos* suos): ergo omnes electi, advenæ dispersionis per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, & Bythyniam erant (*Subditi*,) & eos ad humilitatis meritum provocabat; volebat etiã subditos suos in temporalibus duntaxat subijci illis, à quibus suscipiunt temporalia, nec simpliciter dictum fuit *subaiti estote*, sed *Propter Deum*, nec purè subscriptum, *regi præcellenti*, sed interpositum, forsitan non sine causa *tanquam præcellenti.* Hæc in eos qui gladio utentes regis jurisdictioni sunt commissi, & pro exemptione Clericorum: en præclaram & collectionem & intellectionem ex verbis Apostoli, & ex pulchella occasione, quia *Imperatoria Celsitudo permiserat Constantinop. Patriarcham iuxta scabellum pedum suorum in sinistra parte sedere, cùm alii*

Reges ac principes Archiepiscopis & Episcopis suis (sicut debent reverenter) assurgant, & eis iuxta se venerabilem sedem assignant. Pergit porrò, *Sed & illa pro Sacerdotii prærogativa dicta sunt, non à quolibet, sed à Deo, non Regi sed Sacerdoti: ecce constitui te.* Ergo *Ieremias* non erat Papa sed Propheta: *Ecce constitui te hodiè super gentes, & regna: Prophetam gentibus dedi te: ecce posui verba mea in ore tuo*: non armavi te (dicit) materiali gladio, vel cinxi te militari baltheo: ore prædixerat, videlicet, captivitatem Iudæorum, destructionem & ruinam regni, suâ manu nihil tale fabrifaciebat: rursum constitui te ad *extirpandum, diruendum, perdendum, & evertendum, ad extruendum & plantandum*: quæ verba, expendunt *Theodoretus* & *Bernardus*, uterque eorum aliter quam vos, *Rusticani sudoris quodam schemate, labor spiritualis expressus est*: Disce sarculo *non* sceptro *tibi opus esse, ut facias opus Prophetæ*: *Hieronymus* hunc locum exponens sanius quam vos, de *persona Christi* intelligit.

Ier. 1. *v.* 9. 10.

Insanire

Christus luminare maximum est, quia Sol iustitiæ est, non papa.

Insanire igitur cum ratione videmini, qui tam putidam, & curiosam interpretationem adducitis. Sed audiamus reliqua, *Præterea nosse debueras, quod Deus fecit duo luminaria magna, &c.* id est, Papalem & Imperatoriam dignitatem, quis sani cerebri ita exposuit? præter te (*Innocenti*) ac mancipia tua, adhuc nemo. At Pontifex luminare majus est: veruntamen, quid si ne Lucerna quidem sit super candelabrum posita, ut omnibus qui sunt in domo Dei luceat? quid si lux quæ in Papa omninò sit tenebræ, quantæ autem sunt & tenebræ? quid si tenebræ papales cooperuerunt, non modò liberamentum terræ, sed firmamentum cœli, id est universalis Ecclesiæ? At inquis, luminare maximum est, etiam Sol & sal terræ est, sed obtenebratus Sol: sed infatuatus sal: Solis magnitudo maxima est, sed neque illud didicerim ex Scripturis, Pontificem Romanum esse Solem, *Christus Sol justiciæ est*, attestante *Malachia*, sancti

sancti ac electi Dei, sunt sydera recipientia lumen à sole, tanquam vasa sphærica: & obseruatur quædam proportio, à mathematicis, inter solem & lunam: vera, sed glossator vester Arithmetico calculo suo subducto ita supputat. Cum terra septies maior sit luna, et sol octies maior terra, pontifex principe quadragesies septies maior sit, et tamen meliore ratione subducta septies octo officere 56. non 47. ex *Ptolomeo* demonstrat Solem continere magnitudinem lunæ septies septingenties quadragesis quater tot gradibus quilibet pontifex quolibet principe sit maior. O præclarum calculatorem! Sed nunquid pontificalis authoritas & regia dignitas tali gaudet symmetria? non expedit tibi sane gloriari (*Becane*,) gloriatio talis non est bona, vbi proportio nulla est, ne comparatio instituí debet. Pontificia vestra potestas cui subditi estis, æquivoca, adulterina, ficta & falsa est, nullamque habet germanitatem vel affinitatem cum antiqua

Sacerdotium est regno venerabilius ac maius secundum quid, id est perfectionem & solatium non autem simpliciter.

---

qua illa Episcoporum Romanorum auctoritate. Omnium autem absurdissimum est quod infers. *Et hoc indicat Christus* cum ait *Regnum meum non est de hoc mundo, quasi diceret, potestas, seu iurisdictio temporalis est de hoc mundo, at spiritualis vel Ecclesiastica est de cælo.* Perinde enim ac si diceret, ego sum rex hominum & angelorum, hominum quidem qui beata vita perfruuntur et perfruituri sunt: Regnum suum non negat esse in hoc mundo, sed non *de hoc mundo*, regnat enim in cordibus, id est, conscientijs fidelium vsque ad finem mundi. Haud illa quidem obtinet illatio tua, ista temporalis jurisdictio est de hoc mundo, illa spiritualis est de cælo: ergo nobilior Ecclesiastica temporali jurisdictione est. Vtique maius ac uenerabilius sit regnum unum alio, secundum *Chrysostomum* loco abs te allato, regique quæ hic sunt commissa, sacerdoti cælestia haud tamen ἁπλῶς *simpliciter* ac omnino maius ac honorabilius deputandum, sed secundum

Hom: 4. de verbis Esaia.

dum quid, id est perfectionem quandam & solatium, quod est antea tibi responsum. Sed, vereor ne satis superque tibi sit responsum, de discrepantia & de exuperantia utriusque potestatis, ut ad quæstionem quam primùm moveras, regrediar, & te tanquam a calce ad carceres revocem, priusquam ad collectiones duas, colophonis loco additas, progrediar. Vides (*Becane*) quomodo sibi constet hic primatus regius, et quod jure naturali ita constet, ut neque contra naturam nec præter naturam sit, Quicquid enim est, vel ex natura, vel contra, vel præter naturam est: ut sit contra naturam, ne tu quidem ausus es affirmare, ergo secundum naturam est: quid enim naturæ congruentius est, quam ut homo homini, & Christianus homo, Christianis hominibus imperitet, et sic alter alteri obtemperet recta ac salutaria jubenti non modo in statu naturæ, olim integræ & illæsæ, sed nunc per gratiam reparatæ. Statim igitur post restaurationem

hic

Primatus regius ita, iure naturali, constat ut nec contra naturam, nec præter naturam, sed secundum naturam sit.

---

hic primatus vel principatus in Ecclesia patriarchali viguit. Proinde *Noah*, vir justus et integer in ætatibus suis, coram Domino, ambulauit, et sicut in mundo vetere, sic et in nouo, altari extructo, holocausta obtulit, et cum esset præco iustitiæ cæteris omnibus *Nephilim*, siue defectoribus generali cataclysmo perditis & perdendis prædicauit, et religionis veræ negotium procurauit, reliquique jure primogenituræ in singulis familijs. *Sem* et *Heber & in medio Chanaan ad Salem* Melchisedech *Dei altissimi sacerdos & rex qui benedixit*, *Abrahamo* et ipse *Abraham* & posteri sacris operati sunt, & primogenitus *Isaac* amplissimo perfunctus est sacerdotio, et *Iacob* patriarcha præcepit familiæ suæ, et omnibus qui secum erant, *Removete deos alieni populi qui sunt inter uos & mundate uos, mutantes vestimenta vestra*, semperque apud eos jure primogenituræ hoc ius primatus obtentum est ante legem Gen. 25.

Mosai-

mosaicam promulgatam ut post eandem, cum status Ecclesiasticus a politico manifestius distingueretur, in foro exteriore Ecclesiæ, ne sic quidem primatum amiserint supremi gubernatores. Sed ex præclaris abs te enuntiatis, dictisve duo colligis vel concludis, *unum est quod hæ duæ potestates ex natura rei distinctæ sunt & separari possunt*: alterum quod *hæ duæ potestates non nisi iure diuino vel humano coniungi possunt*. Ad prius respondeo quod illæ ambæ potestates aliquando coniunctæ, aliquando separatæ fuerunt, quod ex pluribus exemplis liquet: nam & regia cum prophetica, & sacerdotalis cum regia quodam communi vinculo inter se connexæ fuerunt. Ad fictionem illam nihil respondeo, quod *supernaturalis vel Ecclesiastica potestas nulla fuisset in statu naturæ*, nam ex suppositione sequitur quidlibet. In statu gratiæ id tibi minime largiendum est, ut in Christo una potestas fuerit sine altera, sed quod Christus ipse in forma

serui,

---

serui, exercuerit unam & non alteram. Ad illud posterius venio, ut aliquando te doceam quo jure *Diuino* vel *Humano*, *Ecclesiactico*, *vel positiuo*, Rex habeat *supremam potestatem politicam obtineat simul potestatem Ecclesiasticam in suo regno*

An Rex habeat primatum Ecclesiæ jure diuino veteris *Testamenti*.

CAPVT. II.

TOTA adhuc hallucinatio tua, fuit (*Becane*) cuiusmodi est communis error totius nationis *Iesuitarum*, quod licet uos acuminibus nostris compungamus, sitis quoque non hebetioribus & plumbeis, sed acutioribus præditi ingenijs,

nijs, nolitis tamen intelligere, quid illud ſit, quod ponitur in nomine & re primatus regij. Vos Ieſuitæ facitis iſtas geminas poteſtates tanquam duas lineas *Parallelas*, ſemper excurrentes, ita ut nunquam coincidant; nos Orthodoxi deſcribimus has lineas utriuſque juriſdictionis extenſas, ut aliquando tamen ob commune bonum Reip. Chriſtianæ ſeſe interſecent, facimuſque non parallelas poteſtates, ſed hypallelas vel ſubordinatas, ut altera alteri ſubſeruiat & nectatur etiam illa catena, & vinculo diuinæ voluntatis, & humanæ legis authoramento. Quum igitur cernis *Regem* ſuum ſtabilire primatum ex jure divino veteris teſtamenti, & æquitate legis eiuſdem, ſubiungis, Hoc *ipſe ſibi omnino videtur velle, ſic enim habet in ſua Apologia pag.* 155. *Sub vetere teſtamento Reges haud dubiò gubernatores erant Eccleſiæ intra fines ſuos, corruptelas purgavere, abuſus ſuſtulere, arcam ad conſtitutum quietis locum perduxere, arcæ deportandæ ipſi præ-*

præsultavere, templum ædificavere, ædificatum dedi cauere, & sua præsentia opus consecrationis cohonestarunt, librum legis tenebris erutũ populo recitari fecerunt, fœdus inter deum populumque redintigrarunt, confregere serpentem æneum, quamuis & diserto dei mandato erectum, & Christum dominum suo modo figurantem, idola omnia deosque falsos exterminauere, reformationes publicas instituere, conuocatis eo fine & congregatis promiscuè sacerdotibus & laicis, exauctorauerunt summum Pontificem, aliumque in eius locum subrogauerunt: In summa cuncta moderati sunt, quæ ad Ecclesiasticum regimen quoquo modo pertinuerunt. Nec vero tituli & notæ quibus insigniuntur honorariæ ab his eorum actionibus discordant. Vocantur enim filij Altissimi, & vncti Domini, in dei solio sedentes, Famuli Dei, immo Angeli, Dei, facti iuxta cor Dei, Lumina Israelis, Nutritij Ecclesiæ. Hucusque Rex. Ex quibus verbis (inquis) construi potest hoc argumentum: *Reges veteris testamenti iure diuino habebant primatum*

Ecclesiæ, ergo & reges noui testamenti. Vel sic potius: *Reges veteris testamenti iure diuino habebant primatum Ecclesiæ, at hoc ius non est abrogatum, sed adhuc manet; Ergo eodem iure gaudent Reges noui testamenti. At duplex peccatum in hoc syllogismo committitur, nam & maior & minor propositio falsa est. Negamus in veteri testamento fuisse ius divinum de Primatu regis in Ecclesia. Et si fuisset negamus adhuc durare & non abrogatum esse*; Age vero *Becane* primùm argumentum, deinde syllogismum ex serenissimæ Maiestatis apologia satis indiligenter, *Reges veteris testamenti, iure diuino, habebant primatum Ecclesiæ, ergo & reges noui*; vel sic paulo curiosius recolligis, *Reges veteris testamenti, iure divino, habebant primatum Ecclesiæ, at hoc ius non est abrogatum: ergo eodem iure gaudent reges noui testamenti: Et duplex peccatum comitti uis in hoc syllogismo, Nam & maior & minor propositio falsa est*, inquis. Quid autem si omnino syl-

syllogismus non est? quid si enthymema velut ante texueras, & quanquam Enthymema sit contractior syllogismus, vbi vel maior, vel minor propositio subintelligatur, quorsum maiorem & minorem propositionem ab te enuntiatam falsitatis insimulas, cum minor desit? nam si prosyllogismi loco illam minorem velis attexere, confusius aliquanto agis quam lex Dialecticæ pateretur: Debuerat enim prius integer procurrere syllogismus, quam adiungi prosyllogismus: isto modo, *Quo iure reges veteris testamenti gauisi sunt, eodem reges noui testamenti; at reges veteris testamenti habebant, iure diuino, primatum Ecclesiæ, ergo reges noui testamenti habent primatum Ecclesiæ.* Iam ad confirmationem maioris propositionis alterum addamus syllogismum. Aut eodem jure gaudent Reges in nouo testamento quo in vetere, vel hoc ius est abrogatum, sed hoc ius non est abrogatum, ergo; & ad minorem stabiliendam. Si

Lex de primatu Regis, partim iudiciaria est, partim moralis, quoad æquum ac bonum non est abrogata.

Reges sub uetere testamento ius dicebant, & judicium excercebant, & res Ecclesiasticas ordinabant, cunctaque quæ ad Ecclesiasticum regimen, quoquo modo pertinuerunt, moderabantur: tum certè primatum Ecclesiæ obtinuerunt, at verum est primum, verum igitur est secundum. Vtrumque syllogismum qui ex *Serenissimi Regis* præmissis conficitur, tibi negare certum, ac determinatum est, quod ut confidentius agas, quarundum præludia conclusionum, numero quinque, tanquam inanium cantionum præmittis. *Quarum prima est, Ius diuinum veteris testamenti continetur lege* Mosaica, *sunt autem triplicia præcepta legis* Mosaicæ: *secunda est, Præcepta moralia summatim continentur in Decalogo: tertia, Præcepta Ceremonialia quæ præscribunt certas ceremonias, pertinentes ad religionem, sunt determinationes eorum præceptorum in Decalogo, quæ ad diuinum cultum referuntur: quarta, Iudicialia præcepta sunt determinationes eorum præceptorum*

Lex de primatu Regis, partim iudiciaria est, partim moralis, quoad æquum ac bonum non est abrogata.

rum decalogi, quæ ad iustitiam & politiam humanam conseruandam spectant: quinta, Inter hæc triplicia præcepta triplex discrimen est, primum quod morali per se contineantur in Decalogo, reliqua extra Decalogum; alterum, Quod moralia sint iuris naturalis reliqua positivi: tertium, Quod moralia non sunt abrogata, sed melius explicata à Christo, at reliqua sunt abrogata. Hæc ad pompam potius quam ad pugnam abs te inducuntur, & ostentationis causa potius quam velitationis. Attamen ex antecedentibus ita concludis, Si Rex Angliæ *iure diuino veteris testamenti habet primatum Ecclesiæ, vel illud ius divinum continetur in lege morali, vel in ceremoniali, vel in iudiciali,* Iam vero ita assumis, at non in morali, quia in toto Decalogo *nulla fit mentio primatus, nec in ceremoniali, neque Iudiciali fūdari potest duplici de causa primo, quia utraq; lex per Christum abrogata est, Ergo tametsi Reges in vetere testamento, iure divino habuissent, non tamen in nouo,*

quia iam id iuris penitus abrogatum est, quemadmodum & similia abrogata sunt: Vnde ais, *Sicut hæc consequentia non valet, Omnes ministri Ecclesiæ erant olim in eadem tribu, ergo nunc ita fieri debet; sic neq; valet ista, Omnes reges olim habebant primatum Ecclesiæ, ergo etiam nunc habent*. Addis præterea, *nunquam in vetere testamento, divino iure, concessum fuisse regibus primatum Ecclesiæ*, & istud est quod te probaturum confidis, & præfidenter promittis corruiturum fore totum fundamentum regalis *Hierarchiæ*. Ad hæc quantá possum cum brevitate respondeo, si nihil aliud ex longa jactatione te demoliturum esse pollicebere, quam *Regalem Hierarchiam*, nihil plane est quod demoliare. Duæ enim distinctæque res sunt, et primatus regius in *Ecclesia*, & *Ecclesiastica Hierarchia*: ac utraque res sarta tecta est, ab armorum, argumentorumque tuorum vibratione. Audi (*Becane*) quam insulsè ratiocineris, adverte quem paralogis-

mum

mum committas, primatus iste regius quem diximus non inuenitur in *Mosis Pentateucho*, ergo non inuenitur in toto volumine scripturarum veteris testamenti, vel non inuenitur syllabicè descriptus, ergo non inuenitur in uniuerso scripturarum ambitu, vel non inuenitur ipsissimis verbis, in illis quinque libris *Mosis*, vel volumine legis, ergo in explicatione legis per Psalmographum, & prophetas alioſque non invenitur, vel quod attinet ad æquitatem & perpetuitatem regij primatus nihil inuenitur. Verum enim verò illiusmodi de quo disceptamus primatus in Ecclesiasticis rebus, quia jure naturali constat (sicut ante probavimus) & in decalogo reperitur, & deinceps in Iudicialium descriptione, quoad æquum & bonum, non est abrogatus: nam & mandato quinto comprehenditur, in quo honos debitus parentibus includitur, et præcipuè qui exhibendus est magistratibus summis, et subordinatis, id est patriæ, parentibus,

Lex Regii primatus in vetere testamento est lata & nulla succedente sublata, quoad æquitatem & perpetuitatem manet.

Iam vero ut duplici baculo, alteri querno, alteri acerno, utrique reuera arundineo inniti videare, bina fulcimenta causæ tuæ uacillantis adduci s, ut hunc primatum fortius neges, ostensurus profecto nunquam in vetere testamento, iure diuino fuisse latum, aut si vnquam fuit, lege noua succedente eundem esse penitus sublatum.

De priore assertione, prius uidebimus, de posteriore suo loco. Totum autem fundamentum primatus regij conuulsum iri putas, dummodo illud prius probes, efficaciter autem, vel gnauiter tribus rationibus probaturum te paulo audentius confidis. Probas autem tripliciter, sicut ego colligo: ex ratione legis, ex confessione Regis vel personæ, ex ipsissima rei ratione. Legem igitur integram nobis describis, & ex ipsis fontibus hauris, & distribuis in partes. Lex talis est. *Cum ingressus fueris terram quam dominus* Deus *tuus dabit tibi, & possederis eam,*

Deut. 17.

&

& dixeris, Constituam super me Regem, sicut habent omnes per circuitum nationes; eum constitues, quem Dominus Deus *tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus. Cumque fueris constitutus, non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Ægyptum, equitatus numero sublevatus, præsertim cùm Dominus præceperit vobis, ut nequaquam ampliùs per eandem viam revertamini. Non habebit plures uxores, quæ alliciant animum eius, neque argenti & auri immensa pondera. Postquam autem sederit in solio regni sui, describit sibi* Deuteronom. *legis hujus in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leviticæ tribus, & habebit secum, leget q; omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere* Dominum Deum *suum, & custodire verba & ceremonias eius, quæ in lege præcepta sunt. Nec elevetur cor ejus supra fratres suos in superbiam, neque declinet in partem dextram vel sinistram, ut longo tempore regnet ipse & filius eius super Israel.*

Ex

Ex hâc lege duo infers, quorum primum est, *totam dispositionem iuris divini circa Reges veteris Testamenti hìc haberi, & paucas conditiones explicari, numero quidem octo*, quæ tamen ad pauciores possint reduci; ut eligatur à Domino, pietatem colat, vitet Idololatriam, colat justitiam, vitet avaritiam, colat temperantiam, devitet luxuriam, Dominum timeat, fugiat superbiam, & id genus alia. alterum est *nihil inveniri de Primatu Regis in rebus Ecclesiasticis*. Visne igitur (*Becane*) ut in utrisque tibi assentiar vel in neutro? & quod ad prius attinet: an hanc esse legem constantem, & perpetuam reges eligendi existimas? nunquid cœlesti, & divina voce Regem eligi autumas? si paucos duntaxat exceperis, *Saulem* & *Davidem*, & *Iehu*, planè reperies Regnum ad *Solomonem* propter *Adoniam*, qui Imperium captaverat, fuisse devolutum, ac postea jure hereditario, ad reliquos ejusdem prosapiæ *Davidis* transiisse, quod in *Iehoram filio Iehosaphat, ac in Ioa, qui à Iehoiada ungebatur*, erat spectabile documentum, nam

nam & hîc divina coopertus providentia, Rex natu minimus servatus & ad populum productus, ille quia natu maximus, uterque, vel potiùs omnes succedentes, sceptro *Davidico* potiti sunt, ex divino fœdere ac promissione illa, *non defuturam lucernam*, id est, magnificentiam *Davidis posteris in perpetuum*. Quod autem ad posterius spectat, planè abs te dissentio: sic igitur argumentaris, *Quicquid de Regis electione, officio & potestate statutum est iure divino veteris Testamenti, hoc continetur in supradictis conditionibus, vel Deuteronomii 17. atqui nihil in illis habetur de primata Regis in rebus ecclesiasticis, Ergo Primatus Regis in rebus ecclesiasticis non est de iure divino veteris Testamenti*: Hic tibi statim (*Becane*) occurro, ac in via obsisto, & utramq; propositionẽ prorsus nego, ut tua tibimet ipsi displicere falsissima possit conclusio. Majorem reprehendo, quia omne quod est de Regis electione, potestate, & officio, jure divino, constitutum, non est ibi delineatum, sed potius

tiùs dispositio juris divini circa Reges veteris Testamenti, & ea quidem in genere, non in specie scripta est. Breviculo enim compendio tota res transacta fuisset, si totum jus regiæ potestatis officij, ac electionis esset descriptum, quod in alijs locis invenitur; ibíve omnes virtutes ac Regis munia, quæ colere deberet, essent exarata, an verò & Regis unctio, & inauguratio, ex isto *Deuteronomio* haurienda fuit, quæ ibi non ponitur, & tamen utrumque solenne in creandis Regibus: *& divinatio in labiis* Regis, *& misericordia, & veritas custodient* Regem, quas & ipse Rex virtutes custodire debet: & *Regum gloria scrutari sermonem, vel verbum*, id est, ejus mysteria, & id genus alia. Minorem autem eadem facilitate repudio. Quũ enim dicis nihil de primatu Regis ibi haberi, etiam rursus tibi contradico; Ius illud regis primarium de regis primatu, totum in genere reperitur, sed non specificâ ratione: Nam & *describit sibi* Deuteronomiũ *legis huius in volumine, accipiens exemplar à sacerdotibus Leviticæ tribus*, id est,

est, ut *Lyranus* exponit, exemplar castigatissimum, *& habebit secum, leget q; omnibus diebus vitæ suæ; vt discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & ceremonias eius.* Dei itaque timorem, & in seipso ac aliis sibi subditis custodiat, Religionis curam suscipiat, idololatriam, hæresin, aliaque zizania extirpet, quæ facere non potest, nisi *Ecclesiæ* sollicitudinem agat perpetuam, eamque legibus communiat, sicut fecerunt deinceps omnes pij, ac Deum timentes Reges *Israelis & Iudæ.* Hîc verò ne parùm cautè loquutus esse videare, opportunè admodum subjungis, loqui de jure divino te, *quia constat, in veteri Testamento fuisse duplex ius regium: Alterum divinum, quod iam explicatum est, & de quo solo hic agimus: alterum usurpatum, seu tyrannicum, quod describitur*, 1. Reg. 8. 10. *his verbis*: Dixit itaq; *Samuel* omnia verba Domini ad populũ, qui petierat à se Regẽ, & ait: Hoc erit ius regis, qui imperatur° est vobis. Filios vestros tollit, & ponet in currib° suis, facietq;

facietque sibi equites, & prȩcursores quadrigarum suarum, & constituet sibi tribunos, & centuriones, & aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabros armorum, & curruum suorum. Filias quoquè vestras faciet sibi unguentarias, & focarias, & panificas. Agros quoque vestros, & vineas, & optima oliveta tollet, & dabit servis suis. Sed & segetes vestras, & vinearum reditus addecimabit, ut det Evnuchis, & famulis suis. Servos etiã vestros auferet, & ancillas, & juvenes optimos, & asinos; & ponet in opere suo. Greges quoq; vestros addecimabit, vosq; eritis ei servi. Et clamabitis in die illâ à facie Regis vestri, quem eligistis vobis, & non exaudiet vos Dominus in die illâ, quia petiuistis vobis Regem. *His* (inquis) *verbis non describitur ius Regis quod à Deo concessum est, sed quod à tyrannis solet usurpari, ut rectè docet divus* Thomas *in* 1. 2. *q.* 105. art. 1. ad 5. *& fatetur* Calvinus, l. 4. Instit. c. ult. Sect 26. *Et de hoc iure loquitur*

loquitur Chriſtus, Mat. 20.25.& Luc. 22. 25. *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non ſic.* Hinc etiam patet (inquis) quare *Samuel ægrè tulerit, quod Iudæi petiverint ſibi Regem dari, quia nimirum petebant Regem, qui more Gentilium, non qui jure divino eos gubernaret, ut apertè colligitur ex illo.* 1.Reg.8. 4. *Congregati ergo univerſi maiores natu Iſrael, venerunt ad* Samuelem *in Ramatha. Dixeruntq; ei: Ecce, tu ſenuiſti, & filii tui non ambulant in viis tuis: conſtitue nobis regem, ut iudicet nos, ſicut & univerſæ nationes,&c.* Quia autem ex altero loco, Primatum Regis non potuiſti elidere, ex iſto, prærogativam Regis cupis eludere, ac ſi nullum eſſet primarium Regis jus in ſibi ſubditos, planè igitur vocas *jus regium, jus tyrannicum*, ſive uſurpatum, melùs igitur te *Emmanuel Sa* Ieſuita, *cum Hebræis* Iudicium, *Chaldæis* ſtatutum, *hinc quidam colligunt* (ait) *licere Regibus quæ ſequuntur, vel ius hic non quod iuſtum ſit, ſed conſuetudinem ſeu morem ſignificat, & rectius* Pagninus Lucenſis, & Arrias Montanus,

Emmanuel Sa *notationibus in totam ſacram Scripturam.*

Rationem

Rationem vel legem Regis, interpretantur. Rectiſſimè omnium Clariſſimus Rex Iacobus *libro ſuo, de vera lege liberarum Monarchiarum*, hunc locum expendens, ita commentatur, (poſtquam ſubtilitèr multa diſſeruiſſet, de mutuis & reciprocis officijs Regum erga ſubditos, ſubditorum erga Reges,) Quod *iſta verba* Samuelis, *oraculo Spiritus ſancti ſint enuntiata, probatione non eſt opus longiore, quam quod & tota Scriptura* θεόπνευστος, *vel divinitùs inſpirata exiſtat, illudquè fundamentum nemo quiſquam Chriſtianus negare audeat: Vnde neceſſariò ſequitur verba iſta ab aliqua* Samuelis *ambitione non promanare, utpote qui imperio aſſueverat, ac propterea à eo ipſo imperio ac magiſtratu ſe exuere noluerat, regnumq; odioſum fore, ac grave, ac oneroſum, toti populo diſſuadendo, multis argumentis probaverat. Nãque univerſo cœtu Iſraelitici populi ſimul aggregato, ipſorumq; petitioni conceſſerat, ex divina iuſſione:* Audi *vocem eorum, & conſtitue eis Regem,* Dixitque Samuel *ad viros Iſrael, Ite quiſque in Vrbem ſuam:*

Vehe-

Vehementiùs autem dissuadere ab eo ipso proposito divino (cuius causa convenissent) nec sapientis, aut cordati viri, nedum Prophetæ Dei altissimi consilium videri poterat: Illud autem liquidò constat, Samuelis *cunctationem, deliberationemq;, hac in re non ab ambitioso aliquo spiritu fluere, quippe qui Deum oraverat pro* Saule, *nec destiterat orare, priusquam Deus excandesceret ad* Samuelis *quotidianas preces: Perindè etiam liquet,* Samuelem *Prophetam prædictione nullâ uti de* Saulis Regis *defectione, quæ posteà orta est, non ex Dei culpa, quæ in* Deum *cadere non potest, sed ex vitiosa & corrupta* Saulis *natura. Sed aliud quiddam est, orationem* Samuelis *totam in eo versari, ut eorum corda ad veram obedientiam Regi à* Deo, *dando, præstandam, fingeret, ac præpararet, pariterque ostenderet, vitia non toleranda quorundam Regum suorum, qualia possint accidere, haberetq; ipsos patientia quadã præcultos, ac præparatos, ne divinæ ordinationi in temporis lõgitudinẽ esset refractarij, ac rebelles, cuj*

iugum excutere licet maximè velint, minimè possent. At si dixisset, vos ipsi authores estis vobismet Regis creandi, neq; me sprevistis, sed Dominum, ne regnaret super vos, quemadmodum autem in Reg. postulando deliquistis, sic cavete ne gravius quid dam, in regio posthac imperio detrectando, admiseritis. Patientiam igitur, ac humilitatem colitote, in vobismetipsis, ex divini Numinis præstituto Regem accepistis, cuius solius est Regem vobis condonare; Vestrum est solummodo Regi libentissimis animis obtemperare. Incassum igitur obmurmurabitis, vel reluctabimini divinæ ordinationi vel proprium consilium de Rege eligendo (quem tantopere expetistis) ulla ratione vel opere mutabitis: sicut habent gentes universæ Reges suos, sub eadem conditione, iisdemque oneribus impositis dorso vestro, Regem vestrum habetote. Hactenus disertissimus Rex noster, de jure, vel de more quorundam Regum, quorum dominatio, ac cupiditas in infinitum serperet, limitesque continentiæ & clementiæ, justitiæ

Ius in populum cui obsistere, non liceret, non est ius tyrannicum, sed consuetudine usurpatum.

ac æquitatis regiæ, transiliret: neque de eo, quod fieri oporteat, sed quod contingere soleat, ratiocinatur: Potest enim Regnum, id est, optima gubernationis forma, degenerare in tyrannidem, id est, pessimam. Veruntamen haud æquum est, ut mala consuetudo meliorem, id est, Regis prærogativam debeat extinguere. Quare & honos Principibus, & tributum Regibus, & vectigal Magistratibus, & quæ *Cæsarum*, *Cæsaribus* tribuenda sunt, alioqui nec splendorem aulicum tueri, nec regiam munificentiam exercere, nec malitiam subditorum coercere, nec denique exercitum alere poterunt, sine proventibus. Verùm in his singulis adhibendus est modus. Quod ubi fit, nullus est metus vel rapinæ, vel luxus, vel tyrannidis. Itaque parùm prudenter illa Nomina facis Synonyma, *ius Regium tyrannicum, & usurpatum*, cui astipulando *Calvinum* & *Aquinatem* testes producis, alterum, rectè docentem, ut ais, alterum fatentem: Christum sic autem veri-

tatem loquentem introducere non debes, ac si omnem dominatum Regum Gentilium insimulasset tyrannidis. An rectè docuerit semper *Thomas Aquinas*, Videritis vos qui ferè ejus singula dicta ac dictata pertinacitèr defenditis. Hoc unum, pro tuo more, quod facit contra te prætermittis: Subjungit *Thomas* casus cujusdam cõtingentiam. *Potest* (inquit) *contingere quod bonus Rex absq; tyrannide filios tollat, & constituat Tribunos, & Centuriones, & multa accipiat à subditis suis propter commune bonum procurandum.* *Thom. in 1.2.q.105 art.1.ad 5.* *Calvinum* audi ipsum loquentem: Samuel *cum populo Israel denuntiaret, qualia esset à Regibus suis passurus. Hoc erit* (inquit) *ius Regis, &c. certè non id iure facturi erant Reges, quos optimè ad omnem continentiam Lex instituebat, sed ius in populum vocabatur, cui parere ipsi necesse erat, nec obsistere liceret: ac si dixisset* Samuel *eò se proripiet licentia Regum libido, quam cohibere vestrum non erit, quibus hoc restabit unum, ipsa* *Calv. inst. lib.4.*

exci-

excipere ac dicto audientes esse. Atque hoc rationi tuæ primę, quæ ex lege ducta est, responsum esto: ad rationem secundam venio, quæ ex confessione Regis colligitur. Tale igitur proponis Enthymema. Ipsimet *Reges veteris Testamenti, ingenuè fassi sunt, se non habere Primatum Ecclesiæ, sed Sacerdotes: Ergo manifestum est, non ipsos sed Sacerdotes habuisse. Antecedens patet, quia* Iosaphat *Rex, qui sanè fuit optimus, & officii sui minimè ignarus, de Regis & Sacerdotis Potestate sic ait,* 2. Paralip. 19. 11. Amarias *Sacerdos, & Pontifex vester, in his quæ ad* Deum *pertinent, præsidebit: Porrò* Zabadias *filius* Ismael, *qui est dux in domo* Iudę, *super ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent. Quid clarius? Hæc duo hìc opponuntur. Præsidere in his quæ ad Deum pertinent, &, Præsidere his quæ ad officium* Regis *pertinent. Illud prius convenit Sacerdoti, seu Pontifici, hoc posterius, Vicario Regis. Atqui Primatum habere in* Ecclesia, *est unum ex iis quæ ad Deum pertinent:*

Præsidere in iis quæ ad Deum, & in iis quæ ad Regem, summo Regis imperio subiungebantur.

Ergo convenit Pontifici, non Regi, aut Vicario regis. Reges ipsos hoc fassos fuisse, quod Antecedentis loco statuis, penitus nego: Non enim hoc ex *Iosaphati* exemplo, vel uno, vel altero, aliorumvè regum traducitur: Erant autem duæ *Iosaphati* visitationes, 17. *cap.* & 19. quarum alteram in persona sua, alteram per Legatos, ac proceres obibat.

Tu verò (*Becane*) quæ fuerunt *Iehosaphat* verba ultima, primo recensens loco, ordine retrogrado rem totam narras. Adfirmatur Regis factum, tuę narratiunculæ ac conclusioni, prorsus contrarium: habemus itaque quod est maximè optandum adversario, cùm in hoc unius Regis insistas documento, teipsum vel falsitatis, vel impudentiæ confitentem reum. Quis hoc dixit? Rex *Iehosaphat.* quis edixit? *Iehosaphat.* quis constituit Præsides ac Iudices? quis Levitas ac Sacerdotes, in causa Religionis, vel in Iudaica Politeia? Idem *Iehosaphat:* sed an ita vis & primoribus & plebi dixit, ut suâ se jurisdictione spoliaret?

ſpoliaret? nunquid & hos, & illos, quos vel in Hieruſalem, uel limite Iudaico poſuit, ſibi præpoſuit? Immò potiùs utraque officia ſummo imperio Regis ſubjungebantur. Diſtinctionem & ordinem vides, ſubordinationem non vides, tu appellas oppoſita, nos diſparata munia, nullo modo ſibi contraria. *Et ecce* Amarias *ſacerdos*, הראש *caput*, *ſuper vos in omni verbo Domini*, & Zabadias *ſcilicet præfuturus in omni verbo Regis.* Quid clarius? *Et præmonebitis eos, ut non delinquant in Dominum, ne veniat ira ſuper vos, & fratres veſtros. En vindictam*, ni faciant juſſa Regis, quæ utriſque Legatis delegaverat. Quis ſtupor homini docto, non animadvertere diſtributionem geminæ functionis, ſacerdotalis, & judiciariæ, & utriuſque poteſtatis? quis pudor homini ingenuo non confiteri? Attende parumper, quos Paralogiſmos commiſeris. Officium Regis, reſque divinæ ſiint diſparis functionis, Ergo, Rex non habet ſupremam Iuriſdictionem in eccleſiaſticis

cauſis: pari ratione, nec in temporalibus, nam & Regis officium, & ſuæ res temporales, vel civiles, ſunt diſparium functionum. Ergo nec Rex in cauſis temporalibus ſubditorum ſuorum regimen obtinere debet, quæ tamen per diſpares perſonas adminiſtrantur: vel ſic, Rex edicit, Sacerdotem præfuturum in ijs quæ ſunt ad Deum, Ergo, ut ea ritè adminiſtret Sacerdos, non incumbit Regis officio: Hoc argumentum potiùs contra te militat: hęc dicit Rex, Sacerdos cujuſcunque demùm ordinis, gaudebit regimine ac diſpenſatione eorum quæ pertinent ad Deũ, Ergo Rex, qui hæc ſingula ordinavit, à ſummâ procuratione excludetur, quod nihil aliud eſt quàm Regis Primatus, de quo tanta ambitione abs te contenditur. Atqui *Primatum habere in Eccleſia, unum eſt ex iis quæ ad Deum pertinent, Ergo, convenit Pontifici, non Regi, aut Vicario Regis.* Antecedens ita tibi conceditur, ut præcipuum in procurandis divinis rebus, officium ac munus Regis ſit, Sacerdotibus

dotibus autem ita concreditum, utpote Regum vicarijs, ac delegatis, sub quibus tota jurisdictio excercetur, quam antea meminimus. Sed fusius de hac re differemus, cum ad obiectionem ventum erit, quam sumis ex facto *Iehosaphat*. Ad tertiam rationem accedo: sic igitur disputas: *Ille censetur habere primatum Ecclesiæ à Deo, qui in rebus ad legem divinam, & eius interpretationem pertinentibus, constitutus est supremus iudex, cui oporteat obedire: Atqui non Rex sed sacerdos constitutus est talis Iudex à Deo: Ergo non Rex sed sacerdos habet primatum Ecclesiæ à Deo. Minor patet* (inquis) *ex illo* Deuteron. 17. 8. *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, inter causam & causam: et iudicum intra portas tuas videris verba variari: surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus* Deus *tuus: Veniesq; ad sacerdotes* Leuitici *generis, & ad Iudicem qui fuerit illo tempore: quæresq; ab eis qui iudicabunt tibi iudicij veritatem.*

Et

Et facies quodcunq; dixerint, qui præsunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dextram, vel ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo *tuo, & decreto Iudicis, morietur homo ille.* Hoc in loco consectarium tale infers, *At si Rex esset supra sacerdotem à Deo constitutus, non opus esset stare iudicio sacerdotis, sed liceret ad Regem, tanquam ad superiorem iudicem, prouocare. At hoc non licet, non ergo rex, sed sacerdos est supremus Iudex controuersiarum legalium à* Deo *constitutus.*

Maiorem existimas omni exceptione maiorem, atque ita se res habet, si quis talis à Deo supremus Iudex sit constitutus, qui certe nullus est in terris, vel solus certe Christus in cælis, qui ex verbo suo judicat, ad quem judicem solum provocatio est, minorem probas ex Deuteronomio, at facile diluitur tua assumptio, locus ille totus judicialis est, & lex illa

Nullus in terris, ſolus Chriſtus in cælis
eſt ſupremus iudex, & qui ex ver-
bo ſuo iudicat, ad quem ſolum
eſt prouocatio.

plane antiquata eſt, & ſi illa lex vigorem ſuum haberet, non tamen lex Regia per illam legem eſſet diminuta, facit autem hic locus pro authoritate ſacerdotis, & iudicis ſimul coniuncta, neque idem eſt ſacerdos, & iudex, hoc in loco. Quæ autem eſt hæc conſequentia. *Venies ad ſacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem qui fuerit illo tempore, & facies quod dixerint, & qui non obediverit ſacerdotis imperio, ſiue præcepto, & decreto Iudicis, morietur ille homo*, ex decreto judicis. Vel breuiùs ſic, ſtandum eſt iudicio, & finali decretò utriuſque, ergo non Rex ſed ſacerdos conſtitutus eſt Iudex a Deo: cuiuis homini, vel mediocris ingenij, & iudicij, hoc tuum dijudicandum relinquo χεδίασμα. Eiuſmodi roboris eſt conſectarium illud tuum ſophiſma. *At ſi Rex eſſet ſupra ſacerdotem conſtitutus, non opus eſſet ſtare ſacerdotis iudicio, ſed provocare ad regem liceret, tanquam ſuperiorem,*

Non acquiescendum est sacerdotis iudicio, si dextram tuam sinistram, & sinistram dextram dixerit.

orem, at hoc non licet, non ergo rex, sed sacerdos est supremus iudex, controuersiarum legalium à Deo *constitutus.* Respondeo, ex fictione & hypothesi sequitur quidlibet. Etiam si Rex sacerdote superior sit, standum est nihilominus sacerdotis judicio, ex lege pronuntiantis & acquiescendum. Nulla enim mentio hic de interponenda ad regem prouocatione, & quod dudum diximus, Rex et Iudex eadem est persona, licet authoritas & dignitas regum, ac judicum sit disparis conditionis. Vnum autem est quod tibi regerere, & possim, & debeam, sanè non semper acquiescendum esse sacerdotis judicio, nisi rectè judicauerit: Audies igitur non me, sed Lyranum vestrum Cardinalem Romanum, non delyrantem, sed Hebraicam glossam confutantem. Hîc dicit glossa Hebraica. *Si tibi dixerit* [*Sacerdos*] *dextram* [*tuam*] *esse sinistram, vel sinistram esse dextram, talis sententia est tenenda, quod patet manifestè falsum, quod* nullius hominis sententia,

Glos. ordin. in cap 17. Deut.

sententia, cuiuscumque sit authoritatis, tenenda est, si contineat manifestè falsitatem, vel errorem: *& hoc patet per hoc quod præmittitur in textu, nam indicabunt tibi verbum iudicij, ex præscripto legis, quod annuntiabunt tibi facies.* Ex quo consequens est, si falsum dixerint, vel à lege domini fuerint diuaricati, sacerdotum judicio acquiescendum non esse: sed pergamus porrò, quid additamenti loco adducis pro primatu sacerdotis. *Huc spectat illud Aggæi. 2. 12. Hæc dicit dominus; Interroga sacerdotes legem.* Non Regem. Et Malachiæ. 2. 7. *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, Non ex ore Regis, sed sacerdotis.* Et quare? Causa mox additur, *quia Angelus Domini exercituum est, quasi diceret. sacerdos est nuncius, seu Interpres diuinæ voluntatis.* Igitur à sacerdote petendum est quid Deus fieri, à nobis, vel circa nos, velit. *Quod clarius explicatur* Numer. 27. 21. *Pro* Iosua *si quid agendum erit* Eleazar

sacerdos

Sacerdos consulat Dominum. Ad verbum eius egredietur, & ingredietur ipse, & omnes filij Israel cum eo, & cetera multitudo. Eodem pertinet illud Leuit. 10. 8. *Dixit quoq; Dominus ad* Aaron. *Vinum, & omne quod inebriari potest, non bibetis, tu, & filij tui, quando intratis in tabernaculum testimonij, ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum, & prophanum: inter pollutum et mundum: doceatisque filios Israel omnia legitima mea.* Hic uides non Regum, sed sacerdotum esse discernere inter sanctū & prophanum, & legem dei docere ac interpretari. Vnde sicut Azarias *Pontifex ad* Oziam *Regem dixit.* 2. Paralip. 26. 18. *Non est tui officij (Ozia) ut adoleas incensum Domino, sed sacerdotum, qui consecrati sunt ad huiusce modi ministeriam.* Sic etiam potuisset dicere, *non est tui officij*, Ozia, *ut discernas inter sanctum et prophanum, sed sacerdotum, qui ad hoc ministerium à Deo constituti sunt.* Et consequenter: *Non est tui officij Rex, ut gubernes Ecclesiam, sed Sacerdotum.*

terdotum. Aduerte quam vim intuleris verbis diuinis pro primatu sacerdotali, omnia simul ac proponuntur abs te, diffiantur statim ut pluma & palea, interrogandus est sacerdos, *et labia sacerdotis custodient scientiam*, vel custodire debeant &, *legem requires ex ore eius : Angelus Domini, exercituum est*. *Pro* Iosua *siquid agendum erit*, Eleazar *consulet dominum*. Quid ni ? Sacerdotes possunt, & maximè debent pro Regibus suis consulere Dominum, et ex lege domini dare consilium, haud tamen sunt regibus suis superiores; et hoc frequens est, et vsitatum regibus, à consiliaribus suis petere consilium, nec tamen sequitur esse suis principibus superiores. Et habebitis *scientiam discernendi inter sanctum & prophanum*. Ergo non regum, sed sacerdotum est discernere & legem Dei docere, ac interpretari : conceduntur omnia. Saluus est interim Regis primatus : & pergis porrò. Vt non erat *Oziæ* regis adolere incensum, nec ullius regis gubernare Ecclesiam, vel arrogare

sibi

sibi primatum hoc totum est ἀδύνατον. Alterum non licuit *Azariæ* regi, alterum est licitum *Azariæ*, vel *Oziæ* regi. Nefandum quippe tunc temporis, & inauditum, ingredi templum domini, & adolere incensum, super Altare suffitus, obstiterat huic auso *Azarias Azariæ*, sacerdos regi, cum octoginta alijs sacerdotibus, non est tuum, O rex, adolere domino, sed filiorum *Aaronis*, vel legalium ministrorum, qui sacrati sunt: quemadmodum nec ulli regi incumbit, vel verbum prædicare, vel sacramenta administrare, quod Euangelij ministris incumbit & munus, & onus. Aliud autem quiddam, & diuersum est religionis curam agere, quod regis & honorarium, & necessarium officium est, ac Dei seruitium. Sed reuertamur ad exemplum *Iehosaphat*, quam obiectionem præpropere, ordine primam ponis, argumentatus ex facto *Iehosaphat*.

Obie-

Obiec. I.

Ex facto Regis Iehosaphat.

Reducturum te omnes Obiectiones *Sereniſſimi Regis*, ad formam ſyllogiſticam ſpondes, facis igitur obiectiones ſeptem ab exemplis, poſtremam, vel octauam, ex titulis, vel attributis. Priuſquam igitur ſyllogiſmos contexeres, minime oportuerat ſacratiſſimæ Regis Maieſtati iniuriam inferre, imponis autem manifeſtam: Diſputat clariſſimus Rex noſter ex enumeratione vel congerie plurium rectè & præclarè factorum, Regum veteris Teſtamenti non ex vno vel aliquo ſingulari facto.

Reges *ſub vetere Teſtamento haud dubiè erant gubernatores Eccleſiæ intra fines ſuos: & inductione* facta actionũ ſingularum, *corruptelas purgauere, abuſus ſuſtulere, arcam ad conſtitutum quietis locũ*

perduxere, & quæ sequuntur pag. 127. Apologiæ pro juramento fidelitatis. Syllogismus sanè ita erit formandus: Quicunq; constituit Leuitas,& Sacerdotes,aliaq; Ecclesiastica ordinauit, habet primatum Ecclesiæ, atqui rex *Iehosaphat* constituit Leuitas ac Sacerdotes &c. ergo habuit primatum Ecclesiæ. Maiorem vel omittis vel concedis, haud equidem inuideo, miror magis--- Minorem exagitas, respondendo textum, si integrè citaretur, facere pro te, potius quam pro Rege. Textus enim sic se habet. *In* Hierusalem *quoque constituit* Iosaphat *Leuitas, ac Sacerdotes, & principes familiarum ex Israel: vt iudicium, ac causam Domini indicarent habitatoribus eius, Præcepitq; eis, dicens. Omnem causam, quæ venerit ad vos, fratrum vestrorum, qui habitant in vrbibus suis, ostendite eis vt non peccent in dominum.* Amarias *autem Sacerdos, & Pontifex uester, in his quæ ad Deum pertinent, præsidebit. Porro* Zabadias, *filius* Ismael, *qui est dux in domo*

domo Iuda, *super ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent*. An vero putas te castè & integrè in textu citando versatum, qui præcipúam partem & 17. cap. & huius 19. prætermiseris, quia contra te facit, integritas talis tua nobis suspecta esse debet.

Reminiscendum tibi est, quod antea menimeram, *Iehosaphatum*, geminam uisitationem in regno instituisse, priorem per legatos, quos elegerat, ad id officium maxime idoneos, posteriorem in sua persona regia, ac sacrosancta. Anno *igitur tertio Regni sui, misit proceres, vel principes suos, ad docendum in ciuitatibus Iudæ, & cum eis Leuitas, & Sacerdotes, et docuerunt in Iuda, & cum eis librum legis Domini, & circumierunt vniuersas urbes, & docebant in populo*. Nec solum misit suos delegatos, sed, *Egressus ipse est cum populo, vel peragrauit denuo à* Beersaba ad *montem Ephraim, & reduxit eos ad Dominum* Deum *patrum suorum, constituit q; iudices*

in terra, & in cunctis ciuitatibus, & in Hierusalem constituit de Leuitis, & Sacerdotibus, et capitibus patrum Israel, vel primoribus, ad iudicium domini.

Sic (inquit) *agetis in timore Domini, & in fide, et corde perfecto, et ecce* Amarias *Sacerdos præfuturus est in omni re* Iehouæ, *et* Zabadias *in regio negotio*. Sed uterque regi *Iehosaphat* subijciebantur. *Hic ordinatur Regimen populi in causis arduis*, inquit Lyra. Idemque, hic *ostenditur, qualiter populum instruxit per Leuitas & Sacerdotes, quos ad hoc misit, ac cum eis aliquos de principibus suis, ut populum inducerent ad obedientiam, et punirent rebelles, si quos inuenirent, & rursus hic consequenter ponitur ipsius* Iehosaphat *emendatio in se, et in populo, et primò in cultu diuino*. Nec solum constituit præsides, & sacerdotes, sed formam instituit. *Sic agetis, & sincerè, et fidelitér mente agetis*, omnibus *in causis &c.* Quales sunt in *quibus de homicidio,*

micidio, de lege, de disciplina, de ritibus, de iure, controuersia est. Nunc (*Becane*) sume tibi audaciam pro telo, ignorantiam pro scuto, & contra doctissimum ac clarissimum *Regem Angliæ* concludе, si potes. *Sacerdotes, iure diuino constituti sunt Iudices supremi omnium controuersiarum quæ ad Deum ac religionem pertinent: Ergo. Sacerdotes, iure diuino, tenent primatum Ecclesiæ; item ea quæ ad deum pertinent distincta sunt ab ijs quæ pertinent ad Regis officium: ergo Rex ex officio suo non potest Immiscere se ijs quæ ad Deum pertinent: Ergo non tenet primatum Ecclesiæ.*

Negatur tibi in posteriore Enthymemate consequens, negatur in priore antecedens: Quantumuis enim multum desudes in hoc discrimine probando, haud illud sequitur, operam suam reges interponere non debere in negotijs Ecclesiæ, vel sacerdotes jure diuino constitui supremos Iudices controuersiarum quæ ad Deum ac religionem pertinent:

Iudices fidei ac religionis errare non debent, sed homines non sunt κρίται, sed διακρίται, & errare possunt.

nent: quid si ne Iudices? quid si ne supremos judices? quid si ne controuersiarum omnium Iudices quæ ad deum ac religionem pertinent? quid si tantum διακρίτας & non κρίτας? Iudices fidei ac religionis errare non debent, homines autem errare possunt.

Christus autem Dei filius, judex est fidei, cui omne iudicium dedit pater, secundum cuius verbum, & judicare debemus, & judicandi sumus. Euge vero (*Bene*) priusquam institutum probaveris, argumentum contrarium soluere conaris: perridiculè quidem, *Non enim* Iehosaphat (inquis) *constituit, id est creauit, & consecrauit Sacerdotes, sed delegit, & ad certum officium applicauit*, perinde, *ac si* Rex Angliæ *in suo regno constitueret iesuitas, & Sacerdotes, ex ijs qui iam antea ordinati sunt, ut conciones ad populum alij haberent, alij confessiones exciperent*. Diversa plane ratio est, nam quod *Iehosaphat* constituerat sacerdotes, & Leuitas, per uniuersum regni ambitum,

ambitum, erat nobile, ac honorarium regij primatus officium vnum, velut alterum, quod populum ad Dominum reduxerat. Ordo autem ille Leuiticus Dei ordinatio erat, & ministrorum ordo à Deo est, vester autem Iesuitismus, ab homine, & diu stare non potest. Proinde non est credibile, sapientissimum, & religiosissimum Regem nostrum, admissurum sanguinarios Iesuitas turbines, & procellas reipublicæ, *vel Ecclesiæ* faces, immissurum, vel vniuersum regni statum, vlla ætate, vel posteritate sera id esse passurum. Apage igitur satis insulsam fictionem tuam.

Obiectio. II.

Ex facto Dauidis & aliorum Regum.

Secunda (inquis) *obiectio est hæc. Qui tollunt abusus, & corruptelas Ecclesiasticas, habent primatum in Ecclesia:*

Ex officio Regum est abusus & corruptelas in Ecclesia tollere.

Reges veteris testamenti sustulerunt abusus, & corruptelas Ecclesiasticas : Ergo habuerunt primatum Ecclesiæ. Minorem probat Sacellanus Regis Angliæ dupliciter. Primo ex illis verbis 2. Reg. 5.6. Et abijt Rex, *& omnes viri qui erant cum eo, in Ierusalem, ad* Iebusæum *habitatorem terræ : dictumq; est* Dauid *ab eis : Non ingredieris huc nisi abstuleris claudos, & cæcos, dicentes : Non ingredietur* Dauid *huc. Ex quibus verbis sic argumentatur : Ad regem* Dauidem *spectabat, de Templo cæcum & claudum tollere: Ergo ad eum spectabat omnes abusus tollere. Non enim abusus aliunde existunt, quam vel de insciti a, quod cæci sint homines, vel de incuria, quod in officio claudicent. Secundo probat exemplo aliorum Regum, qui in scriptura reprehenduntur, quod excelsa non sustulerunt. At non reprehenderentur nisi ad eorum officium pertineret excelsa tollere. Quid autem aliud est tollere excelsa quam tollere abusus & corruptelas ?* Respondes (*Becane*)

ut

Ex officio Regum est, perinde ac Sacerdotum, abusus & corruptelas, et iudicare, et discernere.

---

ut ais, *generatim cum distinctione*, *nam aliud est iudicare seu discernere, quænam sint corruptelæ & abusus in religione, aliud corruptelas & abusus tollere, quando certò constat tales esse & exterminare. Priùs pertinet ad officium summi sacerdotis; posterius non modò regi, sed cuilibet patrifamilias concessum est, postquam res iudicata est.* Vtrumq; ostensurum te pollicere novi Testamenti exemplis, sed ne proficis hylum, & præclarè sine exemplis ostendis. *Inter Christianos quæri solet, an sit abusus & corruptela* (dicis) *habere & colere Imagines, invocare sanctos, pro defunctis orare, &c. de his iudicare non pertinet ad principes sæculares, sed ad Prælatos Ecclesiæ; at postquam res iudicata est, quilibet* Rex, *Magistratus, Paterfamilias potest executionem præstare, nec ideò Rex habet primatum Ecclesiæ.* Quænam est hæc tua Parecbasis? certè frivola. Inter bonos Christianos quæri non debet, cùm extra omnẽ controversiã sit, sanctos in cælis invocari nõ oportere, utpotè

qui

qui preces nostras ne audiant quidem: nec colendas imagines ullo genere cultus, nec pro defunctis orandum, ut qui beatâ vitâ perfruuntur, & in Domino requieverunt à laboribus suis, nec plura iniquè possidenda beneficia ex dispensatione pontificia, nec voto castitatis obstringi quempiam ex Dei mandato, nec abstinendum cibis quos creavit Deus cum gratiarum actione: quæ res omnes cùm declaratæ ac judicatæ sint ex verbo Dei, si quis abusus irrepserit, solius regis, ac magistratus est, non cujuslibet privati hominis ex veritate Legis Evangelicæ, verum ac justum stabilire, punire contrarium, verbo Dei priùs consulto, quod petere æquum est à Ministris vel Sacerdotibus. Prœire autem Sacerdotes in isto negotio non reges, eosdemque reges subsequi ac exequi sacerdotale mandatum, iniquissima lex est abs[illegible] constituta. Exempla tibi quot sunt, tot [illegible]nt documenta. *Davidis*, *Solomonis*, *Ezechiæ*, *Iehosaphat*, *Josiæ*, qui strenuam o[illegible]ram navârunt extermimio abusuum & corruptelarum

corruptelarum in Templo vel Ecclesia, semper prœeuntes in reformationis negotio. Sed ista generatim, duo speciatim explicanda tibi sumis, alterum de abusu adolendi, ac sacrificandi in excelsis, alterum de cœcis & claudis ejiciendis, quæ ambo contra te faciunt, ut minimè mirum sit te in utroque & operam & oleum perdere: quis est tam mediocritèr in sacris versatus, qui non intelligat duo fuisse genera excelsorum, diversa fuisse Arcæ ac Tabernaculi hospitia, ad longitudinẽ nonaginta annorum & ultrà, manente utriusque divortio sanctuarium Dei, ibi esse potiùs ubi Tabernaculum figebatur, quam ubi Arca, Sanctuarium esse potiùs ubi Tabernaculum, contiguamque habitationem utriusquè Arcæ & Tabernaculi ad vitandum schisma esse oportere, id est, coalitionem partium Ecclesiæ, templum *Solomonis*, & Tabernaculum Mosaicum, reipsa unum, idemque alterum, alteriusq; domicilium, Excelsa vel Synogogas numero plures extitisse ab ultima antiquitate,

tate, atque illûc precibus atque actionibus sacris obeundis, interesse homines potuisse, in singulis urbib°, sacrificijs certum locum fuisse destinatum; excelsa idololatrica disturbanda, divellenda, tollenda esse, & nullâ ratione toleranda ad vitandum & scandalum & schisma. Sed quorsum ista? ut omnes intelligant divinã sapientiam resplenduisse in singulis Regibus, qui sustulerunt excelsa, in *Davide* præsertim, qui cæcos & claudos ejecit ex Ecclesia, secundum illam sententiam ex Levitico, *Cæcus & claudus non ingredietur in templum Domini, ut faceant vel obeant ministerium.* Vtra igitur expositio veritati conformior *Abulensis*, an *Elienſis*, episcopi falsi, an fidelis testis; tua, qui ad nescio quos Pygmæos confugis, an *Petri Martyris Vermilij* asserentis. *Hic quidam volunt repeti sententiam ex Levitico, & disertè scriptum & mandatum in lege Domini.* Elienſis ita disputat, *Locus est de tollendo cæco & claudo per* Davidẽ: *nimirum, si ad* Davidem *spectet de templo cæcum & claudum*

claudum tollere, spectare & illud ut omnes abusus tollat: enimverò & de aliis sæpè & præcipuè de ea quod populus adoleret in excelsis, corruptela per Reges non sublata toties, tam clarâ voce de Regibus queruntur sacræ literæ, ut locus nullus negationi relictus sit. Vtraque consequentia bona est & hæc ad *Davidem* spectabat, cæcum & claudum de Templo tollere, ergo et omnes abusus in genere, & ista, *ad Regem* pertinebat omnes corruptelas eliminare, ergo & cæcum & claudum exterminare. Sed ais prætereà, *Credo ne quidem illi in mentem venisse cum ea res gesta est.* Vnde tibi constat de purissima & sanctissima *Davidis* mente nolle tales repurgare corruptelas quas *anima Davidis oderat.* Sed etsi id facere voluisset, subjungis, non ideò sequeretur habuisse illum primatum Ecclesiæ, quia idipsum quilibet paterfamilias potest factitare. Itanè verò? Satin sanus cerebro es, ut majorem propositionem quam in principio hujus capitis concessisti in fine ejusdem neges.

Vide quomodo hic syllogysmus contra te retorqueatur. Si id voluit & potuit facere, & ejus generis alia, quę sereniſſimus Rex enumerat, habebat Primatum in Ecclesia: at hoc ipse *David*, magno zelo æstuans pro domo Dei, repurganda ac alijs de medio tollẽdis abusibus, & voluit, & potuit, ergo habebat Primatum in Ecclesia: Majorem retorqueo. Potuit & debuit facere, quæ sanctiſſimi sui Ordinis reges fecerunt, & jure merito fecerunt, & sub vetere, & sub novo Testamento. Minorem sic: *David* rex, & reliqui pietate præditi fecerunt omnes, alioqui ob id ipsum opus pium non laudarentur in sacris literis: & ex eo consequens est, obtinuisse eum, quem boni reges sibi asserere oportet, Primatum Ecclesiæ. Postremum ut extenuare rem totam valeas, infers, quẽlibet patremfamilias eandem operã præstare posse, quando tales abusus esse constat, id est, post rem judicatam velut anteà memineras. Attende paulisper quomodo fallacitèr petas, quod est in principio, ac

in

in idem relaberis. Quęstio est, an Rex possit tollere abusus in Ecclesia, *ut lucos, & excelsa, ut connubia fidelium cum Gentilibus*: Respondes, posse & debere cum *certo constat tales esse*, constare non posse esse tales, nisi per *increpationem Propheticam*, vel *declarationem Ecclesiæ*, (ut *Tortus* vester) postquam transiret in rem iudicatã. Quid tum demùm possunt reges? tantum, quantum Magistratus majores minoréſvè, quantum quilibet paterfamilias: quantulum autem, id est, quod paterfamilias potest intra privatos parietes suos, potest prohibere talia, potest executionẽ præstare, id est, pro sua virili parte, Rege, id est, lege loquente, præeunte consilium auxiliumque pręstare. Ineptulæ certè illationes ambæ & hæc, non potest nisi post declarationem Ecclesiæ; nam Ecclesia in deterrimum statum prolapsa & coinquinata, ex officio suo potest & debet tollere corruptelas, quia ipse Rex est nobilissimum & primarium membrum, id est, Gubernator suæ Ecclesiæ. Et illa: tantum

Reges tenent primatum ex eo quod præiverint in negotio reformationis & actionibus solennibus.

Tantum potest quilibet Paterfamilias quantum pater patriæ, tantum subditus, quantum rex; tantum alienæ voluntatis exequutor, quantum ille qui & sanciendo juber, & jubendo sancit; tantum privati, quantum Reges Christiani, cùm illud liqueat ex clarissimo *Augustini* loco, *Servire Reges Domino in quantum sunt reges, cum ea faciunt ad serviendum illi quæ non possunt facere nisi Reges.*

Obiectio III.

Ex facto eiusdem Davidis.

TERTIA *obiectio est hæc: Qui perducit Arcam fœderis ad constitutum quietis locum, & Arcæ deportandæ præsultat, tenet Primatum Ecclesiæ. Atqui Rex* David *perduxit Arcam ad constitutum quietis locum,* 1. Par. 13. 12. *& Arcæ deportandæ præsultavit,* 2. Reg. 6. 14. *Ergo habuit primatum Ecclesiæ. Hoc argumentum* (inquis) *magni facit* Sacellanus *Regis, & vim facit in eo quod* David *saltaverit ante, non post Arcam.*

cam: *nam hoc ipso* (inquit) *significavit se Primatum tenere in negotio Arcæ deportandæ. Mira hominis subtilitas. Cur non similiter vim facit in eo, quod boves Arcam præcesserint, non sequuti sunt?* Hæccine te scribere decuit (*Becane*) hominem sobriũ, & professorem Moguntinum, & Societatis Iesu Theologum, & Reformatorẽ Antichristi, scilicet illius Antichristi, anteà quidem formati per te, non ita pridem reformati: illuseras fortasse inter scyphos, cùm hæc scribebas, memineraſque *Ioannis* illius Anglici olim Papæ vel Papissæ de Moguntia. At verò (*Becane*) mira (inquis) hominis subtilitas: an non multò magis miranda tua, tuorumque futilitas. *Surrexit* David, *& universus populus cum eo. Imposuerunt q. Arcum Dei plaustro novo* David, *& universus cœtus* Israel *ludebant coram Iehovah in omnibus instrumentis musicis, & Cytharis, & Nablis, & Tympanis, & Sistris, & Cymbalis.* Exultat *David* quòd putet magno honori sibi futurum, quòd possit habere Deũ hospitem, populus etiam unà triumphat & gaudet, quòd

videat Religionem restitutum iri in integrum: non est hæc lętitia gestiens, sed Iubilum sacrum & Melos. *David* cantat, erat enim princeps & flos Musicorum, & ipse repertor Musices etiam, *Saltat totis viribus, sed coram* Iehovah, *accinctus* Ephod *lineo deducit arcam, ipse & tota domus Israelis cum iubilo & sonitu buccinæ.* Quod factum irridet *Michol* filia *Saulis*, quemadmodum & Ecclesia vestra, filia Babylonis, subsannat per fenestram Ecclesiam Catholicam, filiam *Zionis*, nostraq; solemnia: hæc omnia referebat *David* ad Dei gloriam. Optimè *Gregorius*. *Magis miror* (inquit) *David saltantem quàm pugnantem, pulcher quidem erat cùm occideret Leones*, Goliam *sterneret*, *Palæstinos profligaret: multò nunc est pulchrior, cùm omnem suam dignitatem & ornamenta regia abjicit coram Domino.* Quid autem vos Pseudocatholici per cacozeliam, & imitationem mimicam? Illi extulerunt arcã, & imposuerunt plaustro humeris potiùs Levitarũ portandam. Arca illis visibile signum

num præsentiæ Domini exercituum, cujus tanta majestas, ut quoniam ad eam invocaretur nomen Domini appellaretur *Deus Sebaoth*, nequè hoc novum, cùm Sacramenta gerant nomina earum rerum quas significent. Sapientèr *Augustinus* in Epistola ad *Bonifacium*: *Sacramenta propter similitudinem quandam illud ipsum appellari quod significant.* & *Cyprianus*, de cœna Domini, idem ait, *Nomen commune & signis & rebus.* Et *Cyrillus* l. 4. c. 10. *in Iohannem*, exponens hæc verba, *Panem Angelorum manducavit homo, panis ille* (inquit) *Angelorum fuit Christus.* Sed esto: Arca Ecclesia, *Manna Eucharistia*, Quis vim adfert verbis divinis, tu, an doctissimus Elienſis? Quod præsultavit, *id eò potius videtur feciſſe, ut se illis præire viam doceret, & primatum tenere in negotio Arcæ deportandæ, gaudere autẽ & exultare quod sic teneat.* Hîc obiter ponis Arcam quoad Mãnam fuisse typum & figuram vestræ *Eucharistiæ*, & implicatis vosmetipsos contradictione quod Deum ac Dominum vestrum cum *Sandero* salutetis: Si qua igitur

vis est, hæc est vis (licebit exclamare) allata Scripturis. Arca illis per Allegoriam referebat, non incommodè totam Ecclesiam, quam hodiè gestari ac sustineri oportet humeris Episcoporum. Vos vestris Vicarijs ac Suffraganeis imponitis: Illi arcam, & in ea urnam auream cum Manna extulerunt. Vos in processione publicâ pueris præcedentibus, nihil aliud circumfertis, quàm libum Eucharisticum. Vos eò amentię provehimini, ut cùm Papa Roma proficiscitur, frustulum illud equo candidissimo imponatis hominibus adhibitis, cum cereis & tintinnabulis: Ille autem equus ita est condocefactus, ut ad Templũ ductus suâ sponte ad Altare procedat, ibiq; in genua procumbat, quoad illi capsula cum crustulo, de tergo auferatur. Horribilis Idolomania, & nullo modo ferenda inter Christianos. Eatis igitur, ac præeatis boves Basanis cum ceremoniarum plaustris, vel sequamini asini cum superstitionum clitellis, ac rationem factorum illiusmodi nugacium ostendatis. Sed quid ego tempus contererem in tuis ineptijs?

Rectè

Rectè concluſit Elienſis Epiſcopus: quòd ſaltaverit, quòd præiverit *David* in illo negotio Arcæ deportandæ, Primatum tenuit, & eſt unum, inter cætera, argumentum, haud tamen ſolum & ſolitarium, pro primatu Eccleſiæ: ridiculæ certè illationes tuæ nobis. *Multitudo gradiebatur antè Arcam, & pueri in proceſsione præcedunt Euchariſtiam: ergo, multitudo habuerunt primatum Eccleſiæ.* Et tibi ipſi perridiculæ. Non enim ſola anteceſſio, ſed pia ac religioſa procuratio totius negotij, facit ad primatum Eccleſiæ. Poſtremò doces, quomodo oportet argumentari: *Non licuit Regibus, ſed Sacerdotibus ſolis, Arcam attingere*: Ergo, *Sacerdotes præferuntur Regibus, in iis quæ ad Deum ac Religionem pertinent.* Addere debueras, in quibuſdam, id eſt, in liturgijs, concionibus, clavibus, Sacramentis, non in omnibus quæ ad Religionem pertinent: neque ſic ludicrâ ratione tuâ, quâ tantopere teipſum delectas, excluduntur Reges à primatu Eccleſiæ.

Obiectio IV.

Desumpta ex facto Solomonis Regis.

QVARTA (inquis) *objectio est talis: Qui ædificat templum, & Deo dedicat, tenet primatum Ecclesiæ: Atqui Rex* Solomon *ædificavit templum, & Deo dedicavit* 1.Par.28.6.Et 2.Par.6.10.*Ergo Rex* Solomon *tenuit primatum Ecclesiæ. Hoc argumentum* (ais) *sic arget* Sacellanus: *Dedicare Deo templa actus est primarius, neq; cujusquã nisi cujus partes in Religione primæ: At templum à* Solomone *dedicatum est.* Ergo: Ad refutationem hujus argumenti (dicis *Becane*) te *non videre plus subtilitatis* in isto, quàm *præcedenti argumento.* Vt id facias, & futilitatem tuam ostendas, tria obseruas: *Primum est, templum* (scilicet *Solomonis*) *ter dedicatum fuisse: per ipsum, per* Ezram, *per* Machabæos. *Alterum est, dedicare rem aliquam Deo, si vim nominis spectes, nihil aliud esse, quàm dicare illam cultui divino, seu offerre, ut Israelitæ,*

Exodi

Exodi 35. *tam viri, quàm fœminæ, hyacinthum, purpuram, byssum, pilos, pelles, ligna, &c. dedicavêre, & obtulêre Deo, eodemq; sensu* Solomonem *templum divino cultui dedicâsse.* Hinc infers, *non magis colligi posse primatum* Solomonis, *qui ligna, & lapides: quam fœminarum quæ aurum, purpuram, &c. Deo dedicaverunt. Tertium est, quòd in hâc templi dedicatione à* Solomone, *variæ ceremoniæ fuerunt usurpatæ: ex quibus colligi haud potest primatus* Solomonis, *sivè* Solomonem, *sivè Sacerdotes, sivè populum spectes,* quorum erunt distributa officia. Discutiamus singula, & prævidebis præcipua munia & Regis, & Ducum populi Dei, in dedicationis negotio; cætera verò eisdem subordinata & obsequuta. Quæro igitur à te: quis omne Templi opus inchoabat? *Solomon*: quis absolvebat? rex *Solomon*: quis *consecratũ à* David*e parente suo argentum, & aurum, atq; vasa templi, inferebat in thesauros domus Dei, ibiq; reponebat?* Idem *Solomon*: porrò quis omnes omnium ordinum mortales ad se Hierosolymam convocavit?

Solomon: qui adfuerunt eo, ante Arcam, simul congregati? Rex *Solomon*, & omnis Israelitarum conventus: quis honoris causa præfatus est, Ego tibi Iehovah, *qui tenebras habitare statuisti, commarandi domicilium ædificavi, stationemq; in qua semper habites*: Solus Rex *Solomon*: quis universo cœtui Israelis qui adstabat benè precatus est? quis, his omnibus fusis & finitis *precibus & supplicationibus, surrexit, & ante Aram Iehovæ flexis genibus, passisq; in cœlum manibus, stetit què magnâquè voce omni multitudini Israeli benedixit, ac gratias Deo egit?* Quis primum sacrificavit, eodemque die, *medium Atrij ante Iehovæ Templum positi consecravit?* Quis populum ad benedicendum, agendumque Deo gratias excitavit? Quis *octavo die, eundem populum exultantem, lætantemq; dimisit?* idē *Solomon*. Nonne vides primas, medias, extremas partes, *Solomonem* Regem obiviſſe: quæ fuerunt igitur Sacerdotum, ac Levitarum partes? nimirum ut *arcā Domini unà cum tentorio conventus*, vel tabernaculo Ecclesiæ, *omnique sacro instrumento*

instrumento sustollerent, inferrentq; ex iussione eiusdem *Solomonis*: quæ demum populi partes? ut toti actioni interessent, non præessent: ut festiuitati adessent ac sacrificijs: vt gratularentur, ut gauderent ob tanta beneficia, quibus *Iehoua*, *Dauidem* suum, & Israelitas affecerat. Iam verò in dedicatione secundâ, quid est actum? *Seniores Iudæorum fæliciter ædificantes* (prophetantibus *Haggæo* & *Zacharia*) *tum Dei iussu*, *tum* Cyri, & Darij, & Artaxerxis *persarum Regis*, *ædificium absoluerunt*, & *eo Templo exædificato*, *peregerunt Israelitæ*, *sacerdotes*, & *Leuitæ*, *reliquîquè filij transmigrationis dedicationem cum lætitia*: Quis illis talem mentem dederat? Deus cælorum.

Quis iusserat? *Ego* Darius *hoc sedulò faciendum impero*: Ex cuius Imperio hoc munus administratum est? *Ego* Artaxerxes *omnibus Impero &c. Tu verò* Ezdra, *pro Dei tui sapientia, quâ præditus es, statuito Iudices, & Præsides, eosq;*

omnes

omnes legis dei peritos, qui omnibus Syriam incolentibus ius dicant: imperitos docetote. An quidquam clarius pro primatu,& pro reſtaurationis, & pro dedicationis negotio? & paulò antè qui aggreſſi ſunt ſacrum hoc negotium alioſque *operi vrgendo præfecerunt?* Zorobabel *filius* Salathielis, *&* Ieſuah *filius* Iehoſedech, *quorum ſpiritum Dominus* Deus *excitauerat:* eorumque alter erat dux, vel princeps populi, alter ſummus ſacerdos. Deinde in dedicatione tertia, poſt prophanationes *Polytheiſmi*, & *Helleniſmi*, quid eſt factum? Poſtquam cum præfectis *Antiochi*, *Apollonio*, *Gorgia* & *Lyſia* alijſque debellatum eſt, Congregatis caſtris totis, ommes aſcenderunt montem *Zionis*, receptaque arce,& præſidio impoſito, ad expiandum ſanctuarium accingit ſe *Machabæus*, & ſacerdotes inculpatos moribus, legiſque ſtudioſos præfecit, qui lapides contaminationis in locum immundum exportant. De altari Holocauſti ambigebatur an eſſet de-

destruendum, sed succurrit illud optimum factu, vt repositis lapidibus in loco montis commodiore, tantisper abstineretur ab ijs, donec Propheta aduentaret, quem consulere deberent super id, alijsque integris lapidibus secundum legem, nouum altare ad formam prioris constructur, materia asseruata. Repurgatis igitur & reædificatis, quæq; essent necessaria & honoraria, & vasa & ministeria, ordinatis ex legis sententia omnibus, vicesimo quinto die mensis *Cisleu*, qui dies solennior factus est, sacrificia peragunt, quôque die gentes polluerunt aram, eodem recurrente instaurant, ac cum canticis, ac cymbalis, alijsque musices instrumentis sacræ, concelebrant diem festiuum. Quis hoc primum edixit? *Iudas Machabæus*; *& fratres eius*: ἀναλῶμεν καθαρίσαι τὰ ἅγια καὶ ἐγκαινίσαι. Quis ad hoc præclarum facinus alios adsciuit? Quis sacerdotes inculpatos præfecit? Quis integrum opus perfecit? Iidem & auctores, & adiutores *Machabæi*.

Vt

Vt autem hunc actum primarium reipsa eleuare ualeas, & verbis extenuare, à ui nominis petis argumentum, *nihil aliud esse dedicare rem aliquam, quam dicare ut Israelitæ.* Exod. 35. *tam viri quam fœminæ hyacinthum &c. Obtulerunt ad cultum diuinum, eodemque sensu* Solomon *Templum Deo dedicauit.* Quorsum ista minutula cum magnificentioribus conferuntur? Scimus omnes aliquid tum demum esse dedicatum, cum ad sacros usus accomodatum sit, & sempiternâ religione obligatum. Græci dedicare vel initiare τελεῖν, ἢ μυεῖν: consecrare vero dicunt ἐνθιάζειν, καθιεροῦν, *sanctificare* verò ἁγιάζειν, Hæbræi קדש. At vero ut quis, siue vir, siue mulier (cuius spontaneum est cor) adferret, vel offerret, vel adduceret, vel addiceret Domino, per ministerium Sacerdotis, *aurum, & argentum, & vermiculum cocci, & Byssum, & pelles, aliaq; eius generis*, vel ad ornandum tabernaculum, vel Templum, *ad functionem seruitij*, non est perinde

inde actus primarius, atque illud augustius dedicationis, & consecrationis opus (teipso Iudice) in quo perfungendo, ceremoniæ, preces, gratiarumque actiones, victimæ, adhibebantur tantâ cum solennitate. Non igitur eodem sensu promiscua multitudo, vel plebs Israelis obtulit, quo magnificentissimus Rex *Solomon* Templum Domino dedicauit. Atqui, *Sus Mineruam* (quod aiunt) & Regem *nostrum & Eliensem* erudire uis: Si *quid* (inquis) *pro primatu* Solomonis *colligendum est, sic colligi debet: Quicunque in Templo recens ædificato, orat* Deum, *vt in eo exaudiantur preces, et vota supplicantium: is tenet primatum Ecclesiæ: Atqui* Solomon *in Templo à se recèns ædificato, orauit* Deum *vt in eo exaudirentur preces, & uota supplicantium: Ergo tenuit primatum Ecclesiæ. At maior propositio apertè falsa est,* (inquis) *quasi nemo, nisi qui supremam iurisdictionem in Ecclesia habet, eo modo, quo* Solomon *orare possit.*

Mul-

Multi mercatores suis sumptibus Templa in honorem Dei erexerunt, & quotidiè erigunt. An non liceat ipsis orare ut Deus *accepta ea habeat, & preces seruorum suorum in ijs exaudiat? Omninò sanè. Immò plerique Clerici, quoties dedicatio alicuius Templi occurrit, solent orare hoc modo.* Deus, *qui nobis per singulos annos huius sancti Templi tui consecrationis reparas diem, & sacris semper misterijs repræsentas incolumes: exaudi preces populi tui, & præsta, vt quisquis hoc templum petiturus beneficia ingreditur, cuncta se impetrasse lætetur, per Dominum nostrum* Iesum Christum *filium tuum &c.* Itemque hoc modo: Deus *qui inuisibiliter omnia contines, Templum hoc potentiæ tuæ inhabitationis illustra, & concede, vt omnes qui huc deprecaturi conueniunt &c.* Præclarè admodum *(Becane)* recolligis: dicis maiorem esse apertè falsam. *Habe igitur tibi illam* maiorem propositionem tuam, potius quam nostram, quam falsitatis coarguas: Ita certè colligere debueras.

ras. Quicumque Regiâ vel summâ authoritate præditus, vel subordinatâ; indicto sacro conuentu singulos (quorum interest, tam de clero quam de populo, ad id operis idoneos) simul conuocat, adhibitis precibus, reliquisque ceremonijs de iure vel consuetudine requisitis, is dedicat Ecclesiam: At id reges auctoritate summâ alijque subordinatâ utentes siue Primates, siue Episcopi faciunt: ergo illorum est officium dedicare Ecclesiam. An non persæpè tibi respondimus, non ex uno actu primario, velut dedicationis negotio, integrum peti primatum Ecclesiæ, sed ex pluribus simul coniunctis, licet id Regibus primùm, deinde alijs benè conueniat, quorum partes præcipuæ sunt in religione procuranda. Erigant profectò templa, pietatis studio incitati, Mercatores, Venalitijque orent in *Ecclesia*: & pro se et pro alijs, vero, non superstitioso more Deum exorent, haud igitur sibi vendicant primatum in *Ecclesia*: Neque quisquam

nisi

nisi tui similis absurdè colliget, singulos Clericos esse supremos prælatos Ecclesiæ. Opportunè admodum commemoras hoc in loco, *mercatores*, cum Episcopi vestri, ac suffraganei, qui Templa apud uos dedicant, suam operam mercentur, & vendant, non enim nisi mercede conducti consecrationis illud munus obeant. Ipsi igitur uideritis, ne in Templis vestris perperàm dedicatis sint mercatus, & nundinæ. Quod ad nostram consuetudinem dedicationis attinet, neque Iudaicis ceremonijs per Christum abrogatis, nec superstitiosis ritibus à Romana Ecclesia repetitis abutimur, ut potè in Templis, Templorum altaribus, altariumque tegumentis, mantilibus, & mappis, calicibus, & patinis, & vestimentis, alijsque consignandis, consecrandisque, sed simplicitate, & puritate veterum Christianorum vtimur: cum Euangelicis prædicationibus, Deo debitas laudes, & gratiarum actiones persoluimus: qualiter *Eusebius* tradit *Constan-*

stantinum Magnum in Hierosolymitano Templo, Episcopis Tyro euocatis, dedicationem absoluisse. Non est autem quod metuas Templi alicuius Britannici incendium, magis quam ex puluere tormentitio, ab incendiarijs uestris Iesuitis iniecto. Sed audiamus fictionem: Esto Templum aliquod instauratum iri ab Episcopo, conuocari populum, inferri uasa sacra, orant Deum: quæris à nobis (*Becane*) an hunc Episcopum primatem esse Ecclesiæ diceremus, & dilemmatice quæris: *Si est, quod fiet de* Rege? *si non est, quid minus fecit quam* Solomon? *Immo totum præstitit quod* Solomon, *& sacerdotes simul*. Respondes, si quis Episcopus tale officium præstiterit permissione Regis, alicuiusue superioris, vtpotè primatis sui, legisque licentia, abundè liquet quid de Rege, id est, Regis primatu, interim fiat. Nam & suus sibi constat Regius primatus, quantumvis plures habet in ditione sua primates, & Episcopos, qui tales actus exercuerint in dedicatione.

At vero si talis Episcopus non est primas in Ecclesia, quæris iterum: *Quid minus fecit quam* Solomon? Immò minus, quia & ipse Rex inauguratus, & Propheta à Deo inspiratus, Leuitis, ac Sacerdotibus adiutus, vniuerso cætu Israelis communitus, actioni sacræ non solum interfuit, sed præfuit: quod postremò infers: *Id ictum præstitit Episcopus quod* Solomon *et sacerdotes*. Nihil minus, cum vnius Pseudoepiscopi actio missificantis, & καταχρηστικὴ, pulcherrimo Regis sapientissimi, Sacerdotumque facto, nullo modo præponderet.

Obiectio. V.

Desumpta ex facto eiusdem Regis Solomonis.

Quinta Obiectio *est talis: Qui deponit summum sacerdotem ab officio, & alium illi subrogat, necessariò habet iurisdictionem*

iurisdictionem supra summum sacerdotem: Atqui Solomon *Rex deposuit* Abiathar *summum sacerdotem, ab officio, & subrogauit illi* Sadoc. 3. Reg. 2. 27. *Ergo* Solomon *Rex habuit iurisdictionem supra summum sacerdotem. Hoc est* (inquis) *præcipuum argumentum pro primatu Regis. Sed sanè parui momenti. Ac primum sic retorqueri potest. Qui deponit Regem ab officio, & alium illi subrogat, necessariò habet iurisdictionem supra Regem: Atqui* Ioiada *summus sacerdos, non solum deposuit, sed etiam occidit* Athaliam Reginam, *& Ioah in eius locum subrogauit.* 4. Reg. 11. *Ergo* Ioiada, *summus sacerdos, habuit Iurisdictionem supra Regem.*

En acutissimum *Becani* telum, id quod retorquet recidit in caput suum: Cum Rempublicam Iudæ inuaderet *Athalia*, sicut *Iesabell*, afflixerat Remp: Israelis, post cædem stirpis regiæ, soror *Ioram*, uxorque *Iehoiadæ* surripuit clanculum *Ioam*, una cum nutrice *Iosaba*, abditisque

in conclaue lectorum sex annos, in domo Dei, ab interitu vindicatum : eundem, *Ioiada* Pontifex, accersitis centurionibus & satillitibus, produxit ad populum anno septimo, & diademate imposito, cum Testimonio Regem appellauit, & vniuersa turba, complosis manibus, ingeminat voces, *Viuat Rex*; sumptoque supplicio de *Athalia*, nefaria fœmina, aliegena, & idolorum cultrice, quauis lœna sœuiore, & sublata tyrannide, pepigit fœdus inter Dominum, & Regem, & populum, inter ipsos fore populum Domini, aliudque pactum inter regem, & populum ciuile, hoc est politicum, illud vero Ecclesiasticum. At quid est factum? certè non est tam depositio vel exactio legitimæ Reginæ, quam depulsio & vltio parricidij, ac Tyrannidis: & restitutio illius veri Regis, cuius erat Regnum hæreditarium ex *Familia Dauidis*. Hoc igitur argumentum, ex tua ipsius fabrica torqueri potest, retorqueri non potest: debuerat enim ipse *Ioiada*

Pon-

Solomon ordinaria iurisdictione usus est, non extraordinaria, in depositione *Abiathar*.

Pontifex,& sanguine proximus, & regni procurator, *Ioam* in regem vngere: iurisdictionem in regem non habuerat ex hoc officio præstito, tanquam rege suo maior. *Sed ad rem*: ais quasi anreà lusisses in iaculo reijciendo; *Circa factum* Solomonis, *duæ quæstiones discutiendæ sunt, ex quibus apparebit vanitas obiectionis*. Prior *est*: *An* Solomon, *quando eiecit* Abiathar *sacerdotem*, *vsus sit potestate regia*, *an prophetica*, *id est*, *an fecerit ut Rex*, *an vt Prepheta*? *Multi* (inquis) *grauissimi authores*, *putant eum fecisse ut Prophetam non ut* Regem: *nec vsum esse potestate ordinaria*, *qua id non licebat*, *sed extraordinaria quæ prophetis aliquando in certo casu à* Deo *conferebatur*. *Ita* Bellarminus, Gretserus, *& plures alij*. *Et uidetur colligi posse ex illis verbis*. 3. Reg. 27. *Eiecit tergo* Solomon Abiathar, *ut non esset Sacerdos Domini*, Vt implereturſermo Domini,quẽ locutus est super domũ *Heli* in Silo. Res admodũ dilucida est, *Solomonem*, licet Propheta

Solomon ordinaria iurisdictione usus est, non extraordinaria, in depositione *Abiathar*.

esset, usum fuisse potestate regia: Authores tuos minime moror, in quibus citandis, & pauciores pluribus, id est præstantiores, & saniores, senioribus sint anteferendi. Ita se res habet. Animaduertit *Solomon* in tres, pares culpa non pares pœna, eiusdem facinoris conscios, *Adoniam* fratrem, *Ioabum Zaruiæ* filium, & *Abiatharem* pontificem, quorum duos iussit interimi, tertium eiecit, id est, ei abrogauit sacerdotiũ, non interfecit gladio quamquam morte dignum, sed quia *Arcam Domini patri suo* Dauidi *prætulisset, omniumq; patris calamitatum fuisset particeps*, Anathoth *in prædium suum relegauit*. Nulli eorum exempti ab authoritate regia: qua usus est in singulis plectendis pro jure suo: pro sapientia sua, qua diuinitus præditus erat. *At factum tribui solet* Solomoni *ut Prophetæ, non Regi*: prudentissimè tibi respondit Elienſis, veluti & Torto tuo: *hoc factum tribui oportere vt Regi, sed dictum vt Prophetæ: per Prophetam res prædicitur,*

per

per alios opere completur, sæpe non Prophetas. Propheta enim diuinæ iustitiæ nuntius est, interpres est. Sed neque eiecit Abiathar *ad istum finem, ut impleretur sermo domini, sed ex læsæ Maiestatis crimine: fuit modo consequens ad eiectionem* Abiathar, *impletio prophetiæ, atque eo loco* [Vt] *consequutionem denotat, non causam finalem*, quod te *Tostatus* docere potuit, quem tu authorem in arenam sepiusculè producis, vel si docere non potuit; *Iosiæ* Regis factum te erudire debet, qui iurisdictione regia usus est, cum res vel leuicula suspicione attingeretur, consequenter tamen adimpleuit Prophetiam viri Dei, *venientis è* Iuda, *cum verbo Domini in Bethel*, Ieroboham *astante altari ad adolendum, clamantisque, Altare, Altare*, ecce filius nasciturus est domus *Dauidis*, nomine IOSIA, ante annos trecentos ac triginta, qui mactabit super te Sacerdotes, super te adolentes, utque hominum ossa super te crementur.

Nihil in isto facto *Solomonis*, nihil in

Ezechiæ, *Iosiæ*, aliorumque regum piorum factis extraordinarium inuenis : totum hoc, quantumcunque est, quod est maximum, pietatis, religionis, iurisdictionisq; regiæ, documentum ordinarium est. Maneat ergo hoc firmamentum causæ nostræ, *Solomonem* authoritate sua ordinaria suffulcitum, pontificem deijcere potuisse, ac reipsa deiecisse, ac in ordinem redegisse : proinde vanam esse pontificum vestrorum iactantiam, qua gloriantur se à laicis principibus non posse loco moueri, aut attingi. Plane hoc in sacra historia deprehenditur, nusquam pontifices deiecisse Reges, sed Reges Pontifices exauctorasse, pariformiter & in orbe Christiano Imperatorem *Iustinianum*, per *Belisarium* prius remouisse *Siluerium*, deinde *Vigilium*, aliosq;, sede sua (non disputo nunc quibus de causis) deturbatos. Licet posterioribus sæculis, ingraueſcente ac creſcente Romanorum Episcoporum Tyrannide, ac fastu incredibili, & Antichristiano turgeſcente, secus ageretur cum orbe Christiano.

Iam

In historia sacra nusquam invenitur, Pontifices deiecisse Reges, sed Reges Pontifices, & in prioribus sæculis: et in posterioribus secus est factum.

Iam illud quæris, an *Rex Angliæ authoribus tuis consentiat. Si consentit, salva res est (inquis) nam nihil aliud ex facto* Solomonis *colligi posse, quam Prophetas accipere aliquando extraordinariam potestatem à Deo, etiam supra Sacerdotes: quod non est contra* vos, (ut asseris) quia *disputatis non de potestate Prophetarum sed Regum: si non consentit, ne sic quidem contra vos aliquid est effecturus.* Ad primam disjunctionis partem respondeo, quam impudenter opponis, serenissimum Regem nostrum nullo modo consentire, sed diversum planè sentire, cum omnibus orthodoxis, frustrà igitur supponis Prophetas accipere potestatem extraordinariam, interdū supra Sacerdotes, cùm semper habeant instruere (si consulantur) sacerdotes veros, semper redarguere Pseudoprophetas & Sacerdotes falsos, quædam sibi concredita in mandatis, & revelata à Deo propter alterutros, & Sacerdotes & Reges. Ad alteram dilemmatis partem respondeo, *Si non consentit* REX totum illud contra

Solomon Rex legitime usus est potestate in deponendo Abiathar, aliter Saul, qui sine iudiciali processu trucidavit Achimelech & alios.

contra te futurum, quia nullo ingenio assertionem regiam potes convellere, quæ obtinet pro jurisdictione Regis *Solomonis*, supra *Abiathar* & *Sadoc* sacerdotes. Veruntamen, ex ista opinatione tua vehementi, posteriorem quæstionem cupis elicere. *Faciamus* (inquis) *si lubet*, Solomonem *regia potestate fuisse usum*, *jam posterior est*: *An hâc potestate Rex legitimè usus sit necnè? Multi putant illum peccasse, & sic probant*; Solomon *fatetur se eodem jure, quo eiecit* Abiathar *sacerdotem, potuisse illum interficere*: *Sic enim ait*: *Vir mortis es. Atqui non poterat illum iure divino interficere*: *Ergo nec potuit illum ab officio deponere. Minor colligitur ex illo* 1. Reg. 22. 16. *Dixit Rex* Saul: *morte morieris* Achimelech, *tu, & omnis domus patris tui. Et ait Rex emissariis, qui circumstabant eum*; *convertemini, & interficite sacerdotes* Domini: *nam manus eorum cùm* David *est. Noluerunt autem servi Regis extendere manus suas in sacerdotes* Domini. *Ex*

quibus

Solomon Rex legitime usus est potestate in deponendo Abiathar, aliter Saul, qui sine iudiciali processu trucidavit Achimelech & alios.

---

quibus verbis (inquis) *patet certò persuasum illis esse, Regem non posse id mandare, nec Sacerdotes imperio Regis subiacere. Quod etiam advertens Rex, ait ad* Doeg: *Converte tu, & irrue in Sacerdotes, &c. Sicut ergo* Saul *peccavit occidendo: ita* Solomon *deponendo sacerdotem ab officio.* Multùm hîc tumultuaris *(Becane)* ut prudentissimi Regis factum, & justitię & clementiæ specimen eximium illud, ad opprobrium devoces: Multi (inquis) *putant illum peccasse:* sed quis est iste numerus multitudinis, cùm neminem citaveris. Quale est hoc Enthymema tuum. *Non poterit illum iure divino interficere: Ergo nec potuit illum iure divino deponere.* Vtrumque tibi negatur, & antecedens & consequens. Verum quia dicis *minorem colligi ex illo*, 1. Reg. 22. 16. reducam ad integrum syllogismum. Qui non poterat Pontificem interficere, non poterat eundem deponere: *Solomon* non poterat sacerdotem interficere: ergo nec deponere.

Maior

Saul habuit Iurisdictionem, qua vel benè vel malè potuit uti.

Major tibi neganda est in ipsius causæ limine: axioma est, Quod valet in majus, valet in minus, è contraria parte non valet. Ergo qui potest gladio animadvertere in quempiam, potest eundem exauctorare, vel jubere, ut suo magistratu, vel ministro abdicetur. Minorem conaris astruere ex simplici conjectura, id est, quod nullã ob causam licèt justissimam, quiverit illum interficere, famulosque Regis noluisse ob reverentiam interficere sacerdotes ex regis mandato: quibus detrectantibus, id muneris, vel potiùs carnificinæ, demandaverat *Doego* alienigenæ & barbaro. Renuerunt illi Regis satellites occisionem 85. Sacerdotum facere, quia manifestam videbant tyrannidem Principis sui, in cõcupiscendo, & civium, & sacerdotum suorum cruore: meminerant ita esse parendum magistratui, ne flagitium admittatur contra Deum, in quo casu, Deo potiùs quàm homini, obtemperandum est: mandatarius enim, si quid velit facere extra mandatum,

mandatum, id iubetur esse irritum: nemo enim ulla re obstringitur contra conscientiam. Tota res ad hanc summam recidit, *Saulem* potuisse morte mulctare Pontificem, Sacerdotesvè jure divino, si justa sibi subesset perduellionis, proditionisvè causa, quæ in hoc reo inveniri non potuit: quare innocentem hominem, cum toto Collegio, absque ulla judiciali processu nefariè contrucidat: malè hinc colligis, à paribus argumentum concinnando: Vt *Saul* peccavit occidendo, ita *Solomon* deponendo sacerdotem ab officio, sed *Saul* occidendo, ergo, & *Solomon* deponendo. Atqui hæc planè disparia, & dissimilia sunt, nulloque nexu jugantur: quantam ediderit stragem *Saul*, ex eo constat, quòd *octoginta quinque viros gestantes lineum Ephod*, uno *Abiathar* evadente ceciderat, *civitatem N O B*, in qua Collegium & schola, acie gladij percusserat: *pueros, senes, mulieres lactentes, boves, asinos, armenta, greges internecioni dederat*, id est, nulli pepercerat: at longè

dissimilimum *Solomonis* factum, capitibus conjurationis obtruncatis, *Adonia* & *Ioab*, contentus abdicatione *Abiatharis*, Sacerdoti vitam & agros condonaverat. Argumentum igitur tuum potiùs retrocedere, quàm procedere videtur, nisi sic ratiocineris. *Saul* injustè exacuit gladium authoritatis, vel exercuit jurisdictionem in Sacerdotes: ergo habuit jurisdictionem quâ, vel benè, vel malè uterertur in ipsos Sacerdotes: justa itaque causa poscente potuit, sed non voluit, nisi injusta punire delinquentes: proin potestate regia, alioqui legitima, in effundendo sanguine innoxio, abusus est; aliter *Solomon*, quippe qui ex justa causa ejecerat Pontificem, ergo exercuit adversus eum suam jurisdictionem. Liceat mihi illud tuum in te regerere, & à te quærere, quod non ita pridè à Rege quæsiveras: an tu (*Betane*) divinis authoritatibus tam clarâ voce loquentibus, alterum rectè, alterum perperâm factum fuisse, consentias vel non? si consentis, salva res nostra est: si assentionem cohibes,

hibes, humanis potiùs quàm divinis eloquijs obtemperare tibi volupe est: sed iterum quæris & percunctaris: *An Rex Angliæ consentiat tuis authoribus an non: id est, peccasse* Solomonem *sacerdotem ejiciendo. Si hoc putat iterum salva res est, erit enim res facti non juris, unde sicut non sequitur:* Saul *interfecit* Achimelech, *ergo habuit iurisdictionem in illum: ita non sequitur,* Solomon *ejecit* Abiathar, *ergo habuit jurisdictionem in illum: uterquè enim injustè, neuter justè. Sin aliter sentit Rex Angliæ, nempè* Solomonem *non peccasse, libenter hoc illi dabimus, nequè sic enim ullam habebit ejus objectio.* Vtrumque præclarum abs te projectum Lemma, ut possit in dilemma transire, & duplex indè profluens enthymema. *Si hoc putat Rex,* potes ipse in lucrum deputare: Clarissimus Rex ob vestrum Iesuiticum insultum, non mutat stationẽ suam veritatis. Quoties tibi hoc unum inculcandum est, alterum ex jure, alterum tyrannicè agere: quoties ambæ ille consequentiæ (quas tu fugillas) ubique sunt defensæ contra te.

Saul

Saul interfecit, *Solomon* ejecit, ergo habuere jurisdictionem, quâ alter usus est in sontem rectè, alter in innocentem cum furore incredibili est abusus. *Sin aliter putat* Rex *Angliæ, hoc illi dabimus libentèr.* Quorsum istuc profluuium? quæ est hæc subita largitas? *Esto* (inquis) *non peccaverit* Solomon *in ejiciendo Sacerdote: adhuc tamen non habuit supremam potestatem in ecclesiasticis rebus, sed temporalibus.* Fundamenta quædam ponis ad hoc astruendum: *Solomonem* Regem *legitimum fuisse* Davidis *successorem*. Adoniam *aliosquè læsæ Majestatis reos & damnatos*, unumquemquè Regem *esse supremum Dominum in temporalibus*, Sacerdotes (*secluso iure humano quo immunitas Clericorum introducta est*) Regum jurisdictioni subjungi. Abiatharem *ob civilem, non ecclesiasticam causam* mulctatum sacerdotio: ex quibus ais, haud *sequi Regem fuisse primatem in causis ecclesiasticis, sed civilibus tantùm.* Iterum tibi respondeo, quæcunquè demũ esset causa, sive civilis, sive ecclesiastica, sive proditionis crimen, aliorumq;,

sive

ſive ſchiſmatis, ſive ſacrilegii, ſive Idololatriæ, ſummam animadverſionem fuiſſe penes Regem, in perſonas delinquentiũ: reiq́ue ſacræ neglectæ, maleq́ue adminiſtratæ, ordinationem ſupremam, ex lege Dei, tamen & conſultis priùs ſacerdotibus. Quia verò non multi ſimiles caſus interveniſſent, hoc tam factum quàm jus regiæ cenſuræ, memoriæ proditum eſt. Plures autem caſus reformationis eccleſiaſticæ commemorantur paſſim in ſacris literis, quarum non eſt hujus temporis ut tibi memoriam refricem. Ad illa *duo additamenta*, quod Rex *Abiatharem non ſpoliaverit gradu*, ſed ab officii executione ſuſpenderit, quodq́ue etiam *Sadoc* hæreditariò ſummum Sacerdotem ex *Eleazare* oriundum *ſubſtituerat*, vel potiùs reſtituerat, pluſquam probabile eſt, & gradu ſuo, ob tantum ſcelus admiſſum, potuiſſe privari ex debito Iuſtitiæ ordine, neminemq́ue melius ſubrogari quàm *Sadoc* ex *ſeniore filio Aaronis* originem ducentem. Parũ iſta faciunt ad quæſtionem, quia ſive

legitimus sive illegitimus *Abiathar* sacerdos, loco moveri poterat ex justo *Solomonis* judicio. Nunc triumphum canis ante victoriam. Nunc Regis *objectioni abundè est satisfactum*. Omninò non. Vtique tibi ipsi satisfacis, cæteris omnibus, qui hæc æqua lance ponderent, non est satisfactū. Ad Tautologiam tuam excusandum, ad extremum sic colligis: *Si quis breviori compendio cupiat videre, quid respondendum sit in forma. Argumentum Regis dupliciter formari potest. Primò, hoc modo: Qui deponit Sacerdotem ab officio, propter culpam civilem, habet iurisdictionem civilem in illum, Atqui Rex* Solomon *deposuit Sacerdotem ab officio, ob culpam civilem: Ergo habuit* jurisdictionem *in illum.* Totū conceditur: Secundò sic: *Qui deponit Sacerdotem ab officio propter culpam ecclesiasticam, habet jurisdictionem ecclesiasticam in illum*: Solomon *deposuit Sacerdotem ab officio, propter culpam ecclesiasticam: Ergo habuit jurisdictionem ecclesiasticam in illum. Maior vera est: Minor & conclusio*

conclusio falsa est. Immò sic potiùs colli-ge, & videbis conclusionem sequi ex se. Qui deponit Sacerdotem ob civilem vel ecclesiasticam culpam, habet jurisdictionem in illum quam exerceat. At *Solomon* deposuit Sacerdotem,ob civilem,& pariformiter ob ecclesiasticam culpam, ut crimen schismatis, vel sacrilegii, vel idololatriæ potuit deponere: ergo habet jurisdictionem quam exerceat. Cur non ambæ propositiones veræ sunt in utroq; syllogismo, nulla ratio redditur. Dices, quòd *esset res facti non juris.* At juridici facti: cujusmodi petitur ex jure Regis primario, & ex lege Regis in Deuteronomio, quâ obligatur Rex, ut Religionis procurandæ negotium in se susciperet. Sed quare alterum exauctorare non poterat, qui tam longo tempore, *Abiathar* Sacerdotium jure possidisset, alterum *Sadoc* suffecerat,adhuc causam non attingis, vel utrũq; rectè,vel utrunq; vitiosè. Quocirca insolubilem quæstionem facis tibimetipsi,qui tales nobis texis syllogismos,

Consequentia bona est: Rex habet supremam iurisdictionem temporalem, ergo & spiritualem in foro exteriore.

quale(quisquis fuit)enthymema cõtexuit cõtra Dominum *Edwardum Cookium*, juris ac justitiæ consultissimum, nunc in Britannia nostrâ Præsidem clarissimum, & juris & justitiæ, & de Repub. benè meritum, & de Ecclesia indies melius meriturum. *Habet in me* (inquit) *iurisdictionem spiritualem, ergo habet temporalem: vel isto modo, habet in me iurisdictionem temporalem, ergo etiam spiritualem*: quos dicit ille committi paralogismos, quasi non possint, & debeant ambæ jurisdictiones, sibi invicem subalternantes, ob commune bonum utriusq; coincidere & opitulari. *Multo minùs* (inquit ille) *sicut Dominus Cookius passim argumentatur. Princeps vel Monarcha habet in me iurisdictionem supremam temporalem, ergo etiam spiritualem*: quod certè axioma verissimum est, si de jurisdictione certâ in foro exteriore intelligatur: cujusmodi est primatus regius in jure dicendo: quæ causa nostra est, quæ à te multa cum inertia oppugnatur semper, nulla cum solertia expugnatur.

Ob-

Objectio VI.

Ex facto Josiæ Regis.

SEXTA *obiectio est talis.* Qui *librum legis è tenebris erutum populo recitari facit, & fœdus inter Deum, populumq; redintegrat, habet primatum Ecclesiæ. Vtrumq; fecit Rex* Iosias, 4.Reg.22.& 23. *Ergo habuit Primatum Ecclesiæ. Hoc argumentum* (inquis) *urget Sacellanus Regis in hunc modum. Libro reperto indixit Rex conventum, in eo iubet recitari librum, recitato, fœdus novum init cum Deo, populum quoq; ad fœdus adiuravit. Tum præcipit ipsi Pontifici, reliquisq; secundi ordinis Sacerdotibus, ut eiiciant è templo, atq; exurant vasa omnia, quæ* Baali *sacra fuerant, ut excelsa demoliantur. Mandavit posthac de Paschate novo faciendo: deniq; de Religione tota in integrum reformandâ. Multæ sunt* (inquis) *partes huius argumenti,* quas tu pro tuo more frangis in particulas, ego brevius colligã sine aliqua tui injuria. Libro reperto Rex convocavit populum,

& recepto, juſſit recitari, recitato, fœdus iniit pro ſe, & idem ſuaſit plebi ſuæ, præcepit Pontifici reliquiſque ſecundi ordinis, ut *Baalis* vaſa, aliorumque falſorum deorum projiciat, Paſcha redintigrauit: poſtremò, totam religionem juſſit in integrum reformari: *nec tamen Iudicium de reformatione, ſed exequutio ad Regem pertinebat, judicio ſacerdotibus reſervato.* Hic tanquam de via feſſus paulùm reſpiras, ac nullam partem ſyllogiſmi à te ipſo concinnati convellis: quædam tamen enuntiata à *præclariſsimo Rege, & eruditiſsimo Epiſcopo*, ſicco pede tranſis, quædam cum ſcommate tranſilis. Magna res agebatur eo tempore integra Religionis reformatio. Rex, diu ante terris promiſſus, & quaſi delapſus de cœlis, legis ac fœderis rationem ingreditur: tu Moguntij rem iſtam tot ſæculis antegreſſam ſubſannas, *Ioſiæ* zelum cum mulierculârum & ancillarum factis, homo feſtivè comparas. Et tamen fœminæ, ſicut viri, jubentur à *Chryſoſtomo* ut legant Biblia, *Comparate vobis Biblia.* Deinde actionem ſolennem Regis, cum

privato

privato instituto plebis confers: cuilibet *privato homini hoc licitum est*, perindè ac *Iosiæ* duci populi Dei. Deinde *cuilibet concionatori*, ut populum ad legem servandum cohortaretur, *nisi quod Adversarii dicant legem esse servatu impossibilem*: quid est (quæso) quod dicimus, legem alioqui servatu impossibilem, servatorem nostrum *Iesum Christum* suâ personali obedientiâ impleviſſe, nos novâ & inchoatâ obedientiâ summis viribus adniti, ut præstemus, pro nostra virili parte, Christiana quod possumus, quibusque adminiculis adjuti sumus, ex gratia Dei. Deinceps, *Non tam Rex præcepit, quam admonuit sacerdotes, de proiectione vasorum* Baalis. O lepidum caput! interdum Regẽ hunc commonitorem interdum exequûtorem alienæ, id est, pontificiæ voluntatis, nobis representas: cùm tu ipse oblivioſè admodum, vel potiùs malitioſè, verba *jubendi, præcipiendi, mandandi*, quæ sunt authoritatis summę dictata intercapedine paucarum linearum frequentaveris. Planè igitur otiaris in *Iosiæ* exemplo

expendēdo, negotiaturus fortassis in alio, pari cum existimationis tui dispendio. Quia verò tantam immunitatem, & priscorum Sacerdotum, & recentum Clericorum exemptionem tantam vos Romanenses vobismet ipsis vendicatis, en tibi luculentissimum in *Iosia* Rege pio, jurisdictionis documentum, quod negare nec debes, nec audes, quacunque manu frontem perfrices. *Iosia* duplici censura utebatur, nemoque utens suo jure alteri facit iniuriam: non est iniuria facta, vel inusta contumelia Magistratibus, eadem juris districtione, velut gladii in vagina recondditi, non utentibus. Animadvertit in Sacerdotes excelsorum, diversa pœna, dispari in causa: nam quod attinet ad Sacerdotes excelsorum, qui vero Deo suffitum faciebant, solvit eos religione eâ, abdicatosque sacri ministerii sacerdotalis executione exauthorat, hoc est, officio privat, non beneficio & fructibus, veruntamen loquitur Spiritus Sanctus disertè, *non offerant illiusmodi Sacerdotes in Altari Iehovæ Hierosolymis, sed comedant azimos*

Iosiæ Regis iurisdictio erat plena, quam exercuit in Sacerdotes & promiscuam multitudinem.

---

azimos panes inter fratres suos. Nihil grauius statuitur in multitudinem peccantium præsertim in communi labe reipub. & Ecclesiæ. Non sic clementer agit cum *Samaritanis* delinquentibus, id est, reliquijs tribuum *Ephraim*, *Manassis*, *Zabulonis* ac *Nepthali*, qui vel metu tyrannidis Assyriorum occultauissent se in Iudææ finibus, vel tanquam canes reuertissent ad uomitum, in quos tanquam in publicos Idololatros agit ex lege, ac occidione occidit Idololatras, ac ossa comburit ignibus. An vero legitimam jurisdictionem exercuerit *Iosias* in puniendis sacerdotibus quæri solet; Dederintne pænas iustas transgressores ambigi non debet. Alterum opinandum est, intentione rectâ, & justitia poscente, ob crimen Apostasiæ, & trangressionis, siue maioris, siue minoris, pænam debuisse & potuisse infligere. Alterum autem statuendum est, toto in testamẽto vetere, Reges jurisdictionem plenam obtinuisse, & exercuisse iudicia,

tam

tam in coercendis sacerdotibus, quam alijs de promiscua multitudine, certum est, si historiam priscam euoluere uolumus. Etenim *Iosua* erat princeps populi Dei, & *Eleazar* antistes summus, inauguratus obediuit eius principatui. Hoc autem clarum est, sed & luce clarius in *Solomone*, qui optimus initio princeps habitus, exauctorauit *Abiathar*, & totam eius progeniem sacerdotali functione: neque peperciſſet eius vitæ, nisi quod reminiscereturꝰ, eum participem olim factum, ærumnarum omnium patris sui *Davidis*. Quare in omnibus, tam ciuilibus, quam criminalibus, vsque ad sententiam vitæ, necisque, jurisdictionem poterat excercere, & si in summos sacerdotes, ergo in minores. Minime igitur mirandum est, *Iosiam*, moderatorem summum omnium personarum & causarum, qui singulos debuerat in officio continere, animaduertisse in fontes, dummodo causa subesset justa, absque omni existimatione Tyrannidis. Quo

magis

magis demiror eorum amentiam, qui regibus ritè inunctis authoritatem malunt extorquere, ac ius adimere verbis, quam quod verum eſt confiteri verecundè. Hoc ipſum fatetur ingenuè *Alphonſus Abulenſis* Epiſcopus, qui cæterôqui ſuffragatur immoderatis honoribus ſellæ pontificiæ.

Obiec. VII.

Ex facto Ezechiæ Regis.

SEPTIMA Obiectionem facis iſtam. Ezechias Rex *confregit ſerpentem æneum, quamuis diſerto Dei mandato erectum et Chriſtum Dominum ſuo modo figurantem.* 4. Reg. 18. 4. *Ergo tenuit primatum in Eccleſia.* Obiectionem hanc tempore priorem, ordine poſteriorem facis, haud tamen ad partes Enthymematis

matis accuratè reſpondes. Quæris diuerticula & Mæandros, primum, ex quâ cauſa id fecerat *Ezechias*, quâque authoritate ſerpentem æneum confregerat, dictum *Nechuſhtanem*. De priore omnes nouimus, de poſteriore tu ſolus ſapiens nouiſti: in qua quidem opinatione tua vehementi, obtrudis nobis paradoxum, vel inopinabile tuum, & ponis *diuinâ authoritate, non uni data, ſed omnibus* accõmodatâ, & factum ab *Ezechia*, quod fieri potuit à quolibet de mediâ plebe eiuſdem diuinæ legis authoramento factitatum. Ad probationem, locum illum *Deut.* 7.5. adducis. *Aras eorum confringetis, & ſtatuas, lucos ſuccidetis, & ſculptilia comburetis, quia populus ſanctus Domino es tu.* Eſto, ſint hæc dicta ad populum: annon multò magis ad principem ac populi magiſtrum, & ad quemlibet, cum reſpectu habendo ad ſuum ſuperiorem, vel magiſtratum. Multa fiunt ab hominibus ſpiritu diuino, ſpiritu Dei, ſpiritum hominis Heroicum

excitante, ut illud *Mosis*, in comminuendo vitulo aureo, *Aarone* cum populo ad idololatriam prolapso : aliudque *Phinees* factum quod ei ad justitiam imputatum est. & similia ; at quæ fiunt, rationis & ordinis dictamine fiunt ; quorundam partes præcipuæ sunt ac primariæ, quorundam auxiliariæ. *Augustinus* concionatus ad populum, explicat illa verba Deuteronomij paulo ante citata. *Cum data fuerit vobis terra in potestatem aras, &c. Cum acceperitis potestatem hæc facite. Vbi non est nobis* (inquit) *data potestas non facimus, vbi data est non prætermittimus. Multi pagani habent abominationes istas in fundis suis. Nunquid accedimus ac confringimus? Prius enim, ut Idola in eorum cordibus confringamus, quando & Christiani facti sunt ipsi, aut inuitant nos ad tam bonum opus, aut præueniunt nos.* Non ergo quilibet è populo, voluntate suâ, sed authoritate, alicuiusue superioris mandato nixus, opus tam arduum aggrederetur, serpentemve

æne-

æneum, propter illam pristinam sanitatis gratiam tam diu reseruatum, tum superstitiosè cultum contereret: verè igitur regium opus erat, & soliis regis opus laudatissimum. Quæris etiam (*Becane*) *quid misterij fuerit in eo, quod* Ezechias *illum serpentem æneum confregerit, quod quilibet alius facere potuisset*: An mysterij aliquid in factis piorum Regum quotidiè inuenire uis, & animaduertere non uis ad hunc ipsum *Nechushtanem*, qui in superstitiosam venerationem populum Dei abduxerat demoliendum, solum manus pro erroris medicatione, non sacerdotem ullum sed Regem apposuisse: quæ summa *Ezechiæ* laus est, cui labeculam percupis aspergere. Futilius nihil interrogatiuncula tua. *Si alijs non licuit eum confringere cur Regi licuit? Aut si Regi licuit, cur item non alijs?* Plane tibi ostenderam ex *Augustino*, licuisse alijs potestate accepta, quod Regi licuit ex authoritate summa. Et si Regi licuit ex authoritate primaria, licuisse alijs ex pote-

Regi *Ezechiæ* licuit ex potestate summa abusus tollere, aliis ex potestate accepta.

potestate accepta. Transis à serpente æneo, suffitus simulachro, *ad Arcam* Noe quæ *Ecclesiam figurabat*, & stomachosius paulo quæris: *An Regi licuit soli illam dissoluere*, diluuio peracto: quasi vero Arcæ fortassis thurificasset quispiam, aut ex ea causa prægrediente arcam nullos principes vel proceres apportuisset dissoluere.

Obiectio VIII.

Sumpta ex titulis Regum veteris Testamenti.

SIC igitur ais: Rex *Angliæ, sicut hactenus ex facto regum veteris Testamenti, conatus est astruere primatum suum in Ecclesia, nunc ad titulos eorum conuertitur. Sunt autem* Hi. 1. *Reges uocantur Filij altissimi.* 2. Dij. 3. *uncti Domini.* 4. *in solio Dei sedentes.* 5. *Famuli Dei.* 6. *Angeli Dei.* 7. *Facti iuxta cor Dei.* 8. *Lumina Israelis.* 9. *Nutritij Ecclesiæ. Ergo habent primatum*

tum in Eccleſia. Antiquum obtines (*Becane*) & ſereniſſimi Regis verba dilucida diſtorques. *Debueras* ſanè, ſi fideliter velis agere nobiſcum, *Enthymema* tuum, à notis & titulis, abs eorundem Regum actionibus non diſcrepantibus formare diligentius. *Nec vero tituli & notæ quibus inſigniuntur honorariæ, ab his eorum actionibus diſcordant: vocantur enim. Filij Dei Altiſſimi, immo vero Dij, & vncti Domini, in Dei ſolio ſedentes, Famulj Dei, immo Angeli Dei, Facti iuxta cor Dei, Lumina Iſraelis, Nutricij Eccleſiæ, cum innumeris ex eodem genere titulis, atque inſignibus honorarijs, quibus & vetus vbique ſcatet Teſtamentum, & aduerſarius ignorationem nullam poteſt obtendere. Quid in nouo Teſtamento? Omnis anima ijs ſubijci iubetur, idque propter* [a] *conſcientiam. Orandum quidem & pro* [b] *omnibus, ſed præcipuè pro Regibus, & in authoritate conſtitutis, ut ſub ijs piam & pacatam, honeſtamq; vitam degamus.* [c] *Magiſtratus Dei adminiſter eſt ad vlciſcendos faci-*

[a] Rom. 13. 5.

[b] 1. Tim. 2. 2.

[c] Rom. 13. 4.

facinoroſos, innocentes autem, atq; probos remunerandos. Omnibus quidem obtemperandum eſt ſuperioribus poteſtatibus, ſed [d] *potiſſimùm principibus, & in eminentia collocatis.* [e] *Reddite unicuique quod ſuum eſt, Timorem cui timor, Amorem cui amor iure debetur. Date* [f] Cæſari *quæ* Cæſaris *ſunt,* Deo *quæ* Dei *ſunt: Regnum* [g] *meum non eſt huius mundi.* [h] *Quis me conſtituit iudicem ſuper vos?* [i] *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non ſic. Vtrum autem hæ ſententiæ, hi tituli, hæ prærogatiuæ, cum alijs infinitis eiuſdem notæ, tum veteri, tum nouo Teſtamento comprehenſis, ſatis magno argumento ſint Regibus Chriſtianis, ad Eccleſiam, intra fines ſuos, non minus quam reliquum populũ gubernandam, an ſecus, quiuis æquus rerum æſtimator iudicet.* Clariſſimus REX duo quærit ratiocinando ab attributis, & nominibus. Primum, annon hi tituli, & prærogatiuæ, ſatis magno argumento ſunt, regibus Chriſtianis, ad Eccleſiã intra fines ſuos, non minus quã reliquum populum, gubernandã?

[d] 1. Pet. 2. 13
[e] Rom. 13. 7
[f] Mat. 22. 21
[g] Ioan. 18. 36
[h] Luc. 12. 14
[i] Luc. 12. 25

Secundum, an non hoc officium munusque regium cum auctoritate consentiat, quam diuinum verbum ijs attribuit, & vtrumque cuiuis æquo rerum æstimatori dijudicandum relinquit. Tertium est, quod hæc honorifica officia, & insignes tituli & prærogatiuæ, quas Deus in veteri ac in nouo Testamento contulit in Reges, plane dissentiant ab egregijs *Bellarmini* elogijs, cuiusmodi illa sunt consectaria duodecim. 1. *Reges potius seruis esse, quam Dominos.* 2. *Quod non solum subiecti sunt Pontificibus, sed & Episcopis, sed & Presbyteris, atq; adeo etiam Diaconis.* 3. *Quod Imperatorem non grauatè bibere oporteat, non solum post Episcopum, sed etiam post Presbyterum.* 4. *Quod Regum authoritas, atque functio, non immediatè ex Deo descendat, neq; ex iure diuino, sed duntaxat ex iure gentium.* 5. *Quod pontifices multos quidem Imperatores deposuerunt, nemo autem Imperator aliquando Pontificem: immo vero quod* * *Episcopis qui mancipia sint*

1. De laicis cap. 7

2. De pontif. li. 1. cap. 7

3. Ibidem

4. Ibid. & de Clericis cap. 28

5. De pontif. lib. 3 cap. 16.

* De Romano pont. lib. 5. cap. 8

Papæ

Papæ, deponere liceat Principes, & eorum leges rescindere. 6. *Quod Ecclesiastici homines tam longè supra Principes sint, quam anima supra corpus.* 7. *Quod Reges deponi possunt per subditos suos, ob multas causas.* 8. *Pontifices nullo modo deponi posse: nemini enim mortalium permissum est de ijs iudicare.* 9. *Obedientiam Papæ deberi propter conscientiam.* 10. *Obedientiam autem Regi non alio respectu deberi, quam propter ordinem politicum.* 11. *Quod illi ipsi homines Ecclesiastici, qui & nati sunt, & degunt in Regnis principum, non tamen sunt eorum subditi, nec ab ijs iudicari possunt: ipsis autem fas sit Principes suos iudicare.* 12. *Quod obedientia, quam Clerici tribuunt Regibus etiam in minimis merèq; ciuilibus negotijs, non sit à necessariâ aliquâ subiectione, sed tantum ex discretione, & propter obseruationem boni ordinis & moris:* quæ omnia tanquam ἀτοπα, vel absurda, & sibi inuicem, & verbo Dei repugnantia, Serenissimus Rex noster, summa cum ac

6. De laicis cap. 18

7. De Pont. lib 5, cap 8

8. De pont. li. 2. cap. 26

9. De pont. l. 4, c. 15

10. De clericis capite. 28

11. Ibidem

12. Ibidem

curatione ex *Bellarmini* voluminibus delibat: Repugnantia voco, quia ipse *Bellarminus* l. 5. *Barclaiũ* secũ ipse pugnat, inquiens. Nec pontifici in spiritualibus obediẽdum, si forte in hæresim lapsus (quod fieri non posse piè credimus) ab Ecclesia pontificatu priuatus esse denuntiaretur. Quæ opinionum portenta, & ingeniorum vaframenta, ante hunc diem inaudita orbi Christiano, partim peperit, partim aluit *Bellarminiana* doctrina: Sed hæc alijs refellenda relinquo, ne in alienam messem falcem immisero. Verum ad titulos redeo, in quibus ascribendis subtilitas tua minor, ambitio maior. *Primus est*, *Reges vocantur* (te fatente) *Filij* Dei *altissimi*, quæris à nobis; *an non omnes*. *Pij ac fideles sunt filij* Dei, *qui ex institutione* Christi *dicunt*, *Pater noster qui es in cælis*, annon de omnibus pijs, ac fidelibus intelligendum sit illud *Ioannis*. 3. 1. *Videte qualem charitatem dedit nobis pater, ut filij* Dei *nominemur & simus*. Nihil dubitas. Quid tum postea; sed aduertere pote-

ras

Reges, peculiari ratione, vocantur filii Dei.

---

ras, *non omnes qui dicunt* Domine, Domine, nec omnes qui dicunt, Pater noſter, ſed qui aguntur ſpiritu Dei, *filij* Dei *ſunt; non enim acceperunt ſpiritum ſeruitutis in timorem, ſed ſpiritum adoptionis, filiorum* Dei, *per quem clamant, Abba Pater*: Qui ergo ducuntur ſpiritu Dei, clamant *Abba Pater*, & dicuntur, & ſunt reapſè filij Dei. Quæris igitur duo, *Cur Rex Angliæ hunc titulum (quem Chriſtus, & Apoſtoli volunt omnibus bonis communem eſſe) ſolis Regibus arrogare uult?* Et, *An Sacellanus ſe filium Dei eſſe non putat, an in tota Anglia ſolum* Regem *eo priuelegio gaudere cenſet?* quorum alterum ζήτημα ex ſtultitia, alterum ex malitia tua natum eſt. Clariſſimus Rex nihil ſibi arrogat, tantum nihil regibus derogatum uult: Elienſis (quem tu, pro tuo more, ſacellanum appellas) quiquè pro ſua ſapientia Regis dogmata defendit, & veritati ſuffragatur, ſemetipſum confeſſione humili, & agnitione pia, per Dei gratiam, inter alios De filios

annumerat, Regem noſtrum alterum huius ætatis *Solomonem* pacificum, velut omnes Reges & principes Chriſtianos, excellenti quadam ratione, & propriore & ſingulari, non communiore illa, ſed propter participationem diuinæ iuſtitiæ, quâ Dei altiſſimi locum in terris occupat, Dei altiſſimi filium veriſſimè prædicat. Quæris rurſum expatiando, & ab inſtituto negotio ſemper diuaricando; & teipſum corrigens: *Niſi dicat omnes quidem pios, ſed Reges, peculiari quodam modo filios Dei eſſe.* Quid ni? ſed interrogas importunius paulò, *Etiamne improbos?* quinam ſunt illi improbi? nunquid Hypocritas? nunquid Apoſtatas ad filios Dei aggregaueris? *Si ſoli probi ſunt, iam non ſanè quâ Reges, ſed quâ probi ſunt, filij Dei ſunt.* Et quia probi, & quia Reges Chriſtiani, ob id magis probati, tanto magis filij Dei ſunt. Secundus titulus eſt, *Reges vocantur* Dij *Pſal.* 81.6. *Ego dixi dij eſtis*, &, *Ioan.* 10.34. *Nonne in lege veſtra ſcriptum*

eſt:

Reges appellantur utpote diuinæ iustitiæ consortes non item papæ.

---

est: quia ego dixi Dij estis, &, Exod. 22. 8. *Dominus domus applicabitur ad Deos.* Adde etiam si placet; *Et causa utriusque perueniet ad Deos.* Id est, ad Iudices, ut tu tibi sapere uidearis: quasi non omnes Reges essent Iudices, haud tamen omnes Iudices essent Reges. Sublimior sane potestas, & dignitas regia, quàm iudiciaria, & Deo ipsi regi Regum propior: subsannas hunc titulum, quod reges Deos, Romanos pontifices Deos nolimus appellare, ac eo ipso pseudo-Catholicos, papæ assentari solitos, redarguamus: sanè iure merito, quia toto pectore abominamur fastum Pontificis, qui se *Dominum Deum Papam* à suis mancipijs quotidiè abblandientibus audit. Abusus nullus in cognomento nostro, quod regibus diuinæ iustitiæ consortibus tribuimus, Catachresis multa in uocabulo vestro, quod papalibus auribus tute das. Vide ne illud *Martialis* in te quadret.

Tum seruũ scis te genitũ, blandèque fateris
Cum dicis Dominum, Sosibiane, Deum.
vel
Cum dicis Dominum, stulte Becane, *Deum.*

Postremo quæris: *Si ergo non soli Reges, sed etiam alij vocari possũt Dij, quid est quod ex hoc titulo colligit* Rex Angliæ, *Reges & non alios esse primates Ecclesiæ.* Respondeo, duûm generum esse primates Ecclesiæ, præsules in Hierarchia Ecclesiastica regibus subordinatos, Reges in foro exteriore (quod antea distinximus) qui licet primatum obtineant, haud tamen nisi secundum quandam consuetudinem loquendi, & honorum vocabula, quibus & prisca, & Anglicana Ecclesia utitur, summos, & supremos moderatores rerum Ecclesiasticarum, dici posse primates Ecclesiæ. Tertius titulus est. *Reges vocantur Christi*, seu uncti Domini. 1. Reg. 24. 11. *Non extendam manum meam in Dominum meũ, quia Christus Domini est. Fateor* (inquis) *At non soli reges, sed etiã sacerdotes in veteri testamento ungebantur: Et quanquã hoc neget Sacellanus regis, ita tamẽ cla-*

clarũ est, ut negari, nisi ìmpudentèr non possit. Testimonia Scripturæ passim obviæ sunt. Exod. 29. 7. *Oleum unctionis fundes super caput ejus, atquè hoc ritu consecrabitur.* Et Levit. 4. 3. *Si Sacerdos qui unctus est, peccaverit.* Et Levit. 8. 12. *Fundens oleum super caput* Aaron, *unxit eum & consecravit.* Et Num. 3. 3. *Hæc nomina filiorum* Aaron *Sacerdotum, qui uncti sunt, & quorum consecratæ manus, ut sacerdotio fungerentur.* Et 2. Machab. 1. 10. *Qui est de genere Christorum Sacerdotum. Immò etiam Prophetæ ungebantur,* 3. Reg. 19. 16. Iehu *filium* Namsi *unges regem super Israel*: Elizæum *autem filium* Saphat *unges Prophetam pro te.* Hæc sunt loca quæ longè præmittis, priusquam concludis, tanquam velites tuos, pro multiplici unctione: Ais proindè, *sacerdotes ungi*: sed non semper, nisi sub lege Mosaica, non enim *Melchisedech*, qui erat sacerdos Dei altissimi, unctum legimus, nisi cœlesti, & interna unctione. Ais deindè, *Prophetæ etiam ungebantur*: audire debueras *Emanuelẽ* vestrũ

Saa

Saa annotantem 105. Psalmi locum, *Nolite tangere unctos meos: unctos scilicet cœlesti unctione, vel oleo*; Vngebantur Prophetæ, interdum ergo non semper: vngebantur Reges, sed num omnes eodem modo? An *Cyrus*, sicut *David* vel *Solomon*, vel alteruter eorum, sicut *Iehu*? Christus quidem Rex hominum & Angelorum unctus *oleo lætitiæ præ consortibus*, quem Deus unxit Spiritu sancto, & citra oleum: Patriarchæ illi, qui ob Charismata Spiritus sancti, quibus ornabantur, vocantur uncti, sed an fidem facere vis ob externam unctionem infusionemvè olei in capita, vel humeros, vel manus eorum? De Machabæorum eorum genere ipse videris, quomodo *Hircani* filius *Aristobulus*, omnium primus Levitarum diadema capiti suo uncto imposuerat, ob quamvè rationem *Ionathan* Sacerdos acceperat de manu *Antiochi* Iunioris, regia ornamenta, & instrumenta, potestatemque bibendi ex aureis, & purpuram induendi, & habendi fibulam auream. Apparet quidem Dei

Pon-

Pontifices à puritate legis desciviſſe, & mutaviſſe in Reges: veſtrorum inſtar Pontificum Romanorum à *Bonifacio* eius nominis octavo, qui dum utramque dignitatem ſibi vendicant, & regiam & epiſcopalem, utramque diſperdant, & titulum unctorũ, ſive Chriſtorum, penitus amittant. Pergis porrò, ac criminis falſi Elienſem accuſas. Vbi ille (quæſo) negat Sacerdotes Levitici generis unctos? Ille pro ſua ſapientia acutè diſtinguit varias unctiones, & cum oleo, & citra oleum, in vetere teſtamento, unctionemque Regum ab exemplis, non legalibus ceremoniis deducit, ſemperque aliquid docet, ſi velis diſcere, quare hoc à te obijci homini tam docto, cautoque, niſi impudenter non debet, cavendumque poſthac ne ſplendidè mentiaris. Nunc ad concluſionem tuam: hinc ita dicis te concludere. *Vtrique, tam Sacerdotes, quàm Reges in vetere Teſtamento vocantur uncti Domini: Ergo, ſi ſolus ille titulus ſpectetur, vel vtrique, vel neutri habebant primatum* Eccleſiæ: *ſi utriquè, cur Sacerdotibus negat Rex Angliæ? Si neutri,*

cur

cur de Regibus affirmat? Esto utrique, vocantur uncti, nec tamen inde sequitur simul utrosque habere primatum Ecclesiæ, si ille titulus spectetur: Nam primatum, quem dicimus summam procurationem ac moderationem rerum ecclesiasticarũ, Regibus asservamus. Rectè igitur clarissimus Rex Britanniæ de Sacerdotibus negat, de regibus affirmat luculentèr. Addis, *Vel sermo est de externa unctione, vel de interna: si de externa, communis ea fuit Regibus, Sacerdotibus, & Prophetis; si de interna, nemo fidelium excluditur: Omnes uncti sunt.* 1. Ioan. 2. 20. *Vos unctionem habetis à sancto.* Et 2. Cor. 1. 21. *qui unxit nos Deus.* Dilemmaticè hoc quæris, & antidilemmaticè tibi respondeo, ut matæologiam tuam ipse compescas aliquando: Disputatio haberi potest de utraquè unctione, externa, & interna: sed externa illa nihil valet, sine interna, ut videre est in *Menelao, Iasone, Alcymo, Anna*, & *Caipha*, & Papa vestro unctis sine spiritu, & gratia. Si de interna, communis ea, quia spiritualis omnib° fidelib°, & cessat nunquã,

quia

Vnctionis ceremonia trahebatur in exemplum, ab *Innocentio* tertio, superstitiosè.

---

quia ceremonia unctionis, sive sacramentum in vetere Testamento, *erat res significata*, viz. *Spiritus sanctus*: ut *Aug.* in Epist. *Ioan.*. 1. cap. 2. Si de externa communicabatur ea Sacerdotibus semper, Prophetis interdum, Regibus nonnunquam: sive per oleum, sive citra oleum instituatur, dicenda semper sacra unctio; ut liquet in *Ioa* Rege creando, cui corona imponebatur, testimonium, sive liber Legis tradibatur, unctio dabatur. Illud autē difficilé admodum probatu tibi, unctionem ad literam semper fuisse cum oleo, cum in parabola *Ioas*, Iudic. 9. *Procederent arbores ad unguēdum sibi Regem.* Quæ unctio, ibi & alibi, nihil aliud videtur, quâm institutio & cōsecratio ad officiū aliquod, vel functionē sacrosanctam. Neutra igitur unctio, interna, vel externa, trahi potest in exemplum à vestris Papis vel Sacerdotibus, quantūvis aliter responderit per καινοζηλίαν *Innocentius* 3. quodam rescripto *in Decretalibus, de sacra unctione Constantinopolitano Patriarchæ*, de nondum uncto, fortassis

neque

neque raso, Bracharensi olim Episcopo. Accingis te ad titulum alium. *Quartus* (est inquis) *titulus*; *Reges dicuntur in* solio Dei sedere, 2. Paralip. 9. 8. *Sit Dominus Deus tuus benedictus, qui voluit te ordinare super thronum suum, Regem* Domini Dei *tui. Sed constat duplex fuisse regnum: unum terrenum, alterum spirituale. Duo igitur solia, duo throni distinguendi sunt. Reges sedent in solio Regni terreni: Episcopi in solio Ecclesiæ, quod est regnum spirituale.* Duplex regnum agnoscimus, alterum terrenum, alterum spirituale: ex quibus igitur duo solia, duo throni distinguendi sunt inquis: Sed dignoscere oportet, & tribunal ecclesiasticum à politico, cœleste à terreno secernere: habent Reges Christiani suum prætorium, habent Episcopi suam doctrinæ Cathedram, & tribunal jurisdicendi, sed Regibus Christianis subordinatum. Cave hîc quos Paralogysmos commiseris: cave quas Hyperbolas admiseras; cave iterum ne solium Christi, quod in uniuscujusque conscientia, vestri

Sacerdotes

sacerdotes & confessarij stabilire adnituntur & invadunt, ipse præoccupes, Christumque extrudas. Illud exoticum, pravéque abs te intellectum: *Episcopi sedent in solio Ecclesiæ, quod est regnum spirituale*, nisi de interna potiùs potestate, quàm externa loquaris (sicut antea distinximus.) Hęc autem Metaphora, solij tui, ambiguitatis umbra est. Vide ne aliquid terrenæ gloriæ somnies, sapiasvè ne Cathedram pestilentiæ extruas, turrimvè Babylonis iterum exaggeres. Christi sedes, cor ac conscientia fidelium est, nullius Episcopi vel thronus, vel tribunal est, & tamen ecclesiasticum tribunal Episcopis concedimus, quod Ecclesiæ Christi unius est. Reliquum jurisdictionis exterioris est, quicquid habent quod non syllabatim exprimitur in verbo Dei, ex favore Principum Christianorum, legumq; licentia, & indulgentia adepti sunt. Ad illud *Act.* 20. 28 *Vos posuit S. Sanctus regere Ecclesiam Dei*; de rectione per verbum Dei intellige, vel directione Ecclesiastica, quæ ex fonte Scriptu-

Verbum ποιμαίνειν, significat, vel pascere, vel regere Ecclesiam.

Scripturarum hauritur.

Verbum hoc ποιμαίνειν, significat vel pascere, vel regere gregem, *docendo, redarguendo, corrigendo, erudiendo in Iustitia.* Ad aliud Mat. 19.28. *Sessuros Apostolos super sedes duodecim judicantes 12. tribus Israel.* Ex quo infers. *En Apostolos Regum, non Reges Apostolorum, fore Iudices.* Nihil facit ad sublimitatem talis solij ecclesiastici, præsertim Romani, quale tute erigis: privilegium Apostolis ipsis certum ac singulare, vobis nullum conceditur. Quintus sequitur titulus. *Reges vocantur* Servi Dei. 2, Paral. 6. 15. Attributus *Davidi* & Apostolis, Act. 4.29. & alibi Act. 16.17. *Isti homines servi Dei excelsi sunt. Adeôq; omnes liberati à peccato servi facti* Deo, Rom. 6.22. Tu metuens, Elienſem dicis per Prolepsin, anticipando eum, *omnes pios ac fideles Dei servos vocare*, sed reges secundum eminentiam. Et hoc vides, & audis, sed quæris pro tua consuetudine, duo: primum, an *Reges sunt magis pii quàm cateri fideles?* Secundū: *An serviunt*

Deo

Deo in altiori gradu quàm cæteri? Ad primum: Reges vel sunt, vel esse debent, pietate, justitiâ, alijsq; virtutibus præcellentes, utpotè divinæ justitiæ, ac sapientiæ participes, Deiq; ipsius personam gerentes, & potestatem in terris repræsentantes. Ad secundum, replicatio facillima est: Deserviunt & Reges, & Episcopi in altissimo gradu, hij qui legatione pro Christo funguntur, & Dei mysteria, & spiritualia charismata dispensant: illi qui totam rem ecclesiasticam benè & fœlicitèr procurant, & administrant: Et, *Christo serviunt, in quantum Reges, quod non possunt facere nisi Reges.* Summa est, hij, ob magistratum quem gerent, illi, ob ministeriū, quod concreditum est, utriq; invicem sibi, ob commune bonum utriusq; subjunguntur: regnumque Christi, quod est in hoc mundo, haud tamen de hoc mundo, tanquam columina suffulciunt. Hij patres, & genitores filiorum Ecclesiæ, illi parentes patriæ: hij fundamenta (loquor de Apostolis,) illi firmamenta, & præsidia utriusque ordinis, & spiritualis, & politici.

Fallacia *Becani* ab eo quod est secundum quid, ad id quod est simpliciter, pro Sacerdotum præcellentia.

Quid quæris ampliùs? nisi nodum in scirpo quæris. *Si plura expetantur, sunt supra conditionem servorum* Dei, Ioan. 14. 15. cap. *Iam non dicam vos servos: Vos autem dixi amicos.* Hoc specialiter indultum est Apostolis, atqui hoc attributum longiùs extensum est omnibus discipulis, sicut *Christus manum extenderat. Quisquis fecerit voluntatem Patris mei qui est in cœlis, ipse est meus frater, & soror, & mater est.* Progrediamur ad sextum titulum. *Sextus titulus. Reges vocantur* Angeli Dei, 2. Reg. 14. 20. *Quid hinc colligi potest* (ais) *nisi solum Davidem ex omnibus Iudæorum Regibus sic vocari, & à muliere, & ob singularem sapientiam, non dignitatem regiã.* A muliere quidem, sed à *sapiente* illâ *muliere de Tecoah*, & ob admirabilem sapientiam, quam sibi omnes Reges ad imitandum proponerent. Erudire te potuit Eliensis, etiam Regem Tyri dici Cherub. *Tu unctus, patulusque Cherub es, & dedi te in monte sanctitatis* Dei. Tu plus te allaturũ pro omnibus Sacerdotib° polliceris, non de

Mat. 12. 49.

Ezec. 28. 14.

de uno, sed de omnibus dictum fore illud *Malachiæ*, 2.7. *Labia sacerdotis custodient scientiã, & legẽ requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est.* Expende utrum labia unius, vel uniuscujusque sacerdotis custodire debeat scientiam, & an illud vocabulum מלאך & Angelo, & Nuntio commune non sit. *Nunc expendamus uter rectius concludit* (ais) Rex Angliæ *an ego? Regis illatio hæc est*: David *habuit sapientiam similem Angelo, &c. Ergo, omnes Reges sunt tales, tenentq; in Regnis Primatum Ecclesiæ. Ineptè.* Ineptissimè sanè, & otiosissimè concludis pro Rege. Potiùs sic (si tantum cerebro quantum palato sapis) concluderes. *David* Rex præditus erat tantâ sapientiâ, ut Angelo similis videretur, ergo, melius & ille, alijq; Reges obirent id muneris in gubernandâ Ecclesia. *Hæc autem mea est* (inquis) *Omnes Sacerdotes summi in vet. Testamento, vocati sunt Angeli* Dei, *quia* Dei *voluntatem annuntiabant, quod non poterant Reges. Ergo Sacerdotes in rebus ad* Deũ *pertinentibus erãt supra Reges.* Negatur & antecedens, & cõsequens: antecedens verò, quia nullo innitur

titur probationis loco: consequens, quoniam plus esse non debet in consequente, quàm invenire est in antecedente. Formemus hunc integrum syllogismum, si placet. Qui annunciabant voluntatẽ Dei erãt supra Reges in ijs quæ ad Deum pertinebant: at Sacerdotes annunciabant, ergo erant supra Reges: fallacia est à secundum quid, ad simpliciter. Sunt quidem Sacerdotes in ministerio verbi, Sacramentorũ, liturgiæ, clavium, supra Reges: in aliis verò sacerdotes Regibus subjiciuntur. Tuam itaq; λογομαχίαν, & titulorum coacervationem minimè morabimur. Septimus titulus *est. Reges dicuntur*, Facti juxta cor Dei, 1. Reg. 13. 14. *Quæsivit Dominus virum juxta cor suum. Esto hoc*, (inquis *Becane*) *An quia* David, *nunquid non omnes Reges? Etiam omnes* religionẽ, ac Deum colentes Reges: Etenim ad justam effigiẽ *Davidis*, reliqui omnes efformarentur Reges ac Principes. Cæterùm distinctionẽ Sacellani, tanquam nullius momenti eventilas. *Regem dupliciter considerari posse juxta*

cor

cor Dei, quoad personam, & quoad officium. Dilucidus Elienſis: *potest esse, & est ex corde Dei Rex, Magistratus ipse scilicet, ut ille tamen non sit, qui magistratum gerit:* Cujus acumen cùm eludere non poteras, ſtatim ſubjungis: *si hoc sufficit, omnes etiam Sacerdotes, & Episcopi sunt secundum cor Dei: immò magis quàm* Reges. Et quomodo probas? *Nam sacerdotalem magistratum veteri Testamento, ex proprio beneplacito constituit: regium ex importunâ postulatione Iudæorum. Ergo Sacerdotum magistratus, magis fuit secundum cor* Dei, *quâm* Regum. Belliſſimè omnia, velut anteà, concludis. Satis catachreſticè magiſtratum ſacerdotalem introducis, quod veriùs dici poterat officium, vel miniſterium cum dignitate annexâ. An illud veritati conſentaneum eſt, unum ex beneplacito, alterum ex importuniore poſtulato conſtitutum? Quid clariùs eo fundari, & poteſtatem, & dignitatem regiam in Deuteron. & legē regiā dari multis retrò ſæculis actis, priuſquam Reges eſſent conſtituti:

constituti: Simul ambæ constitutiones, & ordinationes erant à Deo. Quid est opus aliquâ ambitione titulorum pro alterutrâ contendere, & in duellum vocare. Satis superq; nugacitèr adornasti omnia *Becane* medius-fidius primatum pontificium curasti molliter, lautèq; munus administrasti tuum. Octavus titulus *est*. *Reges vocantur* Lucernæ Israelis, 2. Reg. 21. 17. Fateris hoc, sed inquis, *Apostoli & Episcopi vocantur lux mundi, & Episcopi*, Apoc. 1. 20. *septem stellæ*: *Si ergo Reges, ideò habent Primatum Ecclesiæ, quia appellantur lucernæ, cur non similiter Apostoli, & Episcopi habeant primatum Ecclesiæ, cùm appellẽtur stellæ, & lux mundi.* Prius hoc, Problema, posterius, Dilemma est: ad prius. Neutri eorũ, quia hoc, vel illo, titulo insigniũtur solo, tenent primatum Ecclesiæ: Nam tu ipse fateris, hoc genus argumentandi ex titulis, esse debile & infirmum: sed cæteris præsuppositis, quæ de jure, & facto eliciuntur, etiam necesse est, ut hij tituli aliquantum præponderent. Argumentum

Cæteris præsuppositis, quæ de iure & facto requiruntur, hi tituli ad primatum regium asserendum præponderant.

---

tum autem Regis clarissimi, ex sufficiente enumeratione omnium causarum, effectorumque, & attributorum procedit, necesse est igitur, ut tuum probationis genus multò retrocedat. Ad posterius sivè ad dilemma tuum ita respondeo, *Hæc propositio*, (inquis) *Qui vocatur Lucerna, Lux, Stella, habet Primatum Ecclesiæ, vel vera est, vel falsa; si vera, sequitur Apostolos & Episcopos habere primatum* Ecclesiæ, *quod negat Rex Angliæ: si falsa, sequitur Regem ex falso procedere fundamento.* Hoc argumentum tuum bicorne, *Becane*, puerile jaculum est, à te jactum, & recidit in caput tuum: non hastâ amentatâ virili lacerto vibrata contra nos. *Hæc Propositio* (inquis) qualis est hæc Propositio? indefinita scilicet. Sed nisi addideris omnis, vel aliquis, non est in ea veritas determinata, sed falsitas latebra reperietur. Omnis qui vocatur Lucerna, Lux, Stella, habet Primatũ Ecclesiæ, apertissimè falsa est. Aliquis qui ijs cognomẽtis insignitur, tenet primatũ,

vera est: Episcopi dicuntur stellæ, id est, vasa sphærica, & replentur lumine, quo & vitæ sanctitate, & veritate prædicationis alijs refulgeant: Reges, & Principes ob magnificentiam regiam, ob justitiæ & pietatis splendorem, appellantur luminaria & lucernæ, ut alijs præluceant. Hunc regium splendorem, DEVS *laceraturus regnum Israel in* 12. *partes*, (ex vaticinio *Achiæ*) *unam tamen daturus erat propter servum suum* David, *quem elegit, & propter civitatem Hierusalem* Solomonis *filio, ut esset lucerna* Davidi *coram se, omnibus diebus: in civitate quam delegit sibi ad ponendum nomen suum ibi*. Vide fis igitur, tanquam bestia cornupeta, priusquam altero cornu nos ferias noceasvè, benè distinguas, ne malè doceas. Atqui refingamus tibi tuum dilemma. Aliqui, qui talibus cognomentis, ut luminaris, & lucernæ, denotantur, habent Primatum Ecclesiæ, vel vera est propositio, vel falsa; si falsa, inscribatur in fronte particularis falsitas: si vera, cur non communis à te admittitur veritas, & quid est pro-

probabilius quam reges Christianos id dignitatis, & præcellentiæ obtenturos, quidue verisimilius, quam Apostolos, qui omnium, Episcopos qui suarum Ecclesiarum sollicitudinem agebant, in dispensandis diuinis mysterijs occupatissimos, eo primatu libenter carituros. *Nonus*, & ultimus *Titulus* est quem tu vellicas. *Reges dicuntur* nutricij Ecclesiæ Esai. 49. 23. *Et erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices: sed adde quod sequitur, vultu in terram dimisso, adorabunt te, & pulueremp edum tuorum lingent, id est, magno incremento augebunt Ecclesiam, eamq; ut Christi sponsam venerabuntur.* Locus luculentissimus sanè. *At hinc non efficitur* (ais) *Reges, & Reginas fore primates Ecclesiæ*, verum est in ordine hierarchico: *sed filios*, & subiectos, id est subditos, submissione humili & deuotione piâ. Vero nil verius, propter gratias, siue χαρίσματα & misericordias oblatas in Iesu Christo. Ad extremum quæris. *Quis magis nutriuit Ecclesiam Christi, quam Apostoli, & eorum successores.*

Audi

Reges alia ratione dicuntur filii, alia nutritii parentes Ecclesiæ.

Audi *Becane*, Apostoli, apostolicique viri, eorumq; successores Episcopi plantauerunt, rigaueruntque Ecclesiam, genuerunt, alueruntque filios in gremio Ecclesiæ, lacte Catechismi potauerunt eos, verboquè prædicationis, fortioreque cibo pauerunt, & nutrierunt: quod autem qualevè erat officium, seruitiumque Regum, Reginarumque, sine dubio ex illâ Prophetia *Esaica*, ministrauerunt Ecclesiæ, & Christo, ex obsequio debito Ecclesiæ propter Christum. Quemadmodum nullum nomen venerabilius est, quam regem dici filium Ecclesiæ, ita nullum cognomentum veracius, quam eundem prædici ab *Esaia* parentem, nutritium Ecclesiæ, si gladio defendat, auctoritate communiat, pacem & tranquilitatem publicam procuret, sacrilegos, schismaticos, hæreticos denique lege coerceat. Quod additamenti loco ponis, *Et lingent pulverem &c.* fastuosum plane, & dignum pontificis superbia, fideles ullos submittere sese ad humillima papæ pe-

dum

dum oscula : Locus totus ibi, & sexagesimo cap. de veneratione præstandâ Christo, & Ecclesiæ propter Christum, quapropter nec uim verbis, nec contumeliam vaticinijs inferas, in domini nostri *Iesu Christi* uisceribus te obsecro. Postremo Isagoge, siue inductione veteris, quâ nihil opus est, post multiloquium, siue falsiloquium tuum, habere Apostolos & Episcopos titulos non minores, sed sæpè maiores Regum titulis, pro obtinendo primatu Ecclesiæ : Respondebo cum beato *Iob*. *Non homini indulgebo*, id est, Iob 32. 21
non accipiam facies, vel personas hominis, utpote indulgendi nescius. *Hominem non cognominabo : nam non noui, quod si titulos vel cognomenta abscripsero, parum erit ut tolleret me factor meus*. Concludis te *diutius hæsisse in hoc capite*, vel argumento : fortassis in luto, *Quia si ostensum erit, nihil ex vetere Testamento adferri posse, consequens est Reges nullo modo esse primates Ecclesiæ : quia Sacellanus ait fundamentum primatus quæri oportere*

in

in vetere, & nullum vestigium existere in nouo. Hæc pro tuo more satis mendosè & mendaciter. Nihil tale doctissimus Eliensis, ita se habent verba clarissimi præsulis. *Nos testamentum nouum à vetere non diuellimus, ex utroq; ius Regium astruimus, habere Reges in vetere Testamento primatum suum, in nouo autem non sunt deteriore loco.*

An Rex, iure diuino Noui Testamenti, habeat primatum Ecclesiæ.

CAP. III.

IN disceptatione ista, *Martinus Becanus* pauca quærit. Primũ. *Quid in totâ œconomia noui Testamenti Christus statuerit de primatu, an eum esse voluerit apud Reges, & principes sæculares, an vero apud Apostolos & eorum successores*: utriuè eorum *iuris-*

risdictionem illam acceperint? Repetit etiam in quibus hic primatus constiterit. Ad hoc vltimum, primo huius disputationis capite respondimus: ad quæstionem igitur quam affers, primo loco veniamus. Veritatem eiusce rei *ex quadruplici ratione inuestigari posse affirmas.* 1. ex verbis Christi. 2. ex testimonijs Apostolorum. 3. ex praxi Ecclesiæ *illius temporis.* 4. ex alijs circumstantijs. Si verba Christi *spectemus, res in promptu est. Dictum est petro*, Ioan. 21. 22. *pasce oues meas. &*, Mat. 16. 18. *Tu es* Petrus, *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam &c. Et, Tibi dabo claues regni cælorum. &* Luc. 22. 32. *Tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Non est dictum* Tiberio, Pilato, *vel* Herodi, *Pascite oues meas: Ecclesiæ meæ primatum tenete.* Dictum est *de Tyberio, date Cæsari quæ sunt* Cæsaris, *date* Deo *quæ sunt* Dei. Dictum est de *Herode, Dicite illi vulpeculæ.* Dictum est coram *Pilato, Ego sum veritas*, & quod *præclaram confessus sit confessionem* coram eo.

Dictum

Dictum est *Petro*, *Iacobo*, *Iohanni*, *qui columnæ videntur*, nihil contradictum est alijs, nihil negatum. Dictum est *Petro*, *Tibi dabo claues regni cælorum*, *& quicquid in terra ligaueris*, *ligatum erit in cælo*; *& quicquid in terra solueris*, *solutum erit in cælo*. Quæsitum est ab omnibus, responsum est à *Petro* nomine aliorum. Mat. 18 Dictum est reliquis, *Quæcunque in terra ligaueritis*, *ligata erunt in cælo*; *& quæcunque in terra solueritis*, *soluta erunt in cælo*. Deniqúe alloquutus est omnes, *Sicut me misit Pater meus*, *sic ego mitto uos*; Ioan. 20, 22 *hoc dicto*, *afflauit eos*, *& dixit*, *accipite spiritum sanctum*, *quorum remiseritis peccata*, *remissa erunt*: *& quorum retinueritis*, *retenta erunt*. Illud *pasce*, illudque *confirma*, dictum est omnibus: promissæ claues omnibus, posteaque datæ omnibus, post resurrectionem. Orauit pro *Petro*, orauit similiter pro omnibus, *Quid ambigitur* (inquit *Augustinus*) *pro Petro rogabat*? *& pro* Iacobo, *&* Ioanne *non rogabat*, *ut cæteros taceam*? *Manifestum* *August: quæst. ex nouo Test. qua. 75.*

est

est in Petro *omnes cõtineri, quia in alio loco dicit, Ego pro his rogo, quos mihi dedisti Pater*. Cyprianus disertissimè, & pro nobis, & contra vos concludit. *Hoc erant cæteri Apostoli, quod fuit* Petrus, *pari consortio, & honoris, & potestatis prædit: sed exordium ab unitate proficisci, ut Ecclesia Christi vna monstretur*. Planissimè Optatus, *Ideo uni* Petro *datam esse Cathedram, ut ab omnibus unitas seruaretur, non ut vni absoluta celsitas deferretur*, & aduersus *Iouinianum*, non super *Petri* Romani Cathedram, sed super Apostolos Ecclesiam fundatam affirmat. Dictum est *Petro*, ob illam præclaram confessionem hypostaticæ unionis filij Dei, prolatam, & sui, & reliquorum nomine: *Tu es* Petrus, *& super hanc petram &c.* Quem locum exponit Sanctus *Augustinus*, *Tu es ergo, inquit*, Petrus, *& super hanc petram quam confessus es, super hanc petram quam cognouisti, dicens, Tu es filius* Dei *viui, ædificabo Ecclesiam meam, super me ædificabo te, non me super te*. Consimiliter

Ioan. 17

Tractat. 9 de simplic. prælatorum.

Hieronym.

De verb. Domin. secund. Mathæ. serm. 13.

liter Sanctus *Hilarius*. *Vnum est immobile fundamentum, vna hæc est felix fidei* Petra, Petri *ore confessa, tues filius Dei viui; super hanc igitur confessionis petram, ædificatio Ecclesiæ est. Hæc fides Ecclesiæ fundamentum est*. Pariformiter Sanctus Ambrosius, *Dominus dicit ad* Petrum, *super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, hoc est, in hoc Catholicæ fidei confessione, fides ergo est Ecclesiæ fundamentum: non enim de carne* Petri, *sed de fide dictum est, Quia portæ mortis ei non præualebunt, sed confessio vicit infernum.* Astipulatur iisdem Sanctus *Chrysostomus, Super hanc petram, id est, super hanc fidem, & confessionem*. Breuitatis causâ omisero *Originem*, & Sanctum *Hieronymum*, alioſque, quorum verborum summa est: Si tantùm Ecclesia ædificaretur super *Petrum*, quid dices de *Iohanne*, cæteriſque Apostolis? nunquid dicemus contra *Petrum* non præualituras portas inferorum, contra alios præualituras. Si hic sermo, *Tibi dabo claues regni cælorum*

De trinit. l. 2. & lib. 6

Amb. in 2. Ephes. Idem de incarnat. Dominic. sacrosan. cap. 5

Hom. 55. in Mat.

cælorum, communis sit omnibus, cur non & quod antecedit, & quod sequitur, commune sit omnibus. Tu dicis Ecclesiam esse superædificatam super petram &c. vtique omnes Christiani: *Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide* Iesu Christo. Vtram harum mauis elige loci expositionem, Ecclesiam ædificari super *Petrum*, tanquam aliquem unum prætiosum lapidem, in structura ac ædificio positum inter alios, vel super fidei confessionem. Hæc est prora, & puppis salutis nostræ, *Fundamentum aliud nemo potest ponere, quam quod positum est, Iesum Christum*. Nullius igitur præterea esse debet fundamentum Ecclesiæ hominis persona, hoc est quod *Gregorius* magnus uester, suo comprobat calculo. *Non potest unum esse totius Ecclesiæ caput, nam si forte illud caput rueret in hæresin aliquam, necesse est ut tota Ecclesia corrumperetur*. Plusquam probabile est loqutũ fuisse de ministeriali *Lib. 4. Epist.*

capite, pro quo, totis viribus dimicatis. Quid sit, *tu es Petrus, & Petra*, luculentissimè est ostensum. Quid sit hoc ipsum *pasce*, & Tibi *dabo claues*, quorum verborum energiam inuestigas, est ostendenum: quæ sequuntur ex duplice commissione, ouium & clauium: & quid est, *Pasce oues meas*. Constat Christum pastorem esse, Ecclesiam, Christianas oues, tantundem est ac si dixisset, Ouile meum tibi commendo. Vicarius meus esto. Adde illud etiam ex Epiphanio: *Hic est qui audiuit, pasce oues, cui creditum est ouile*, Et ex *Eucherio* Lugdunensi, quod *Pastorum pastor* sit, & *pastor omnium ouium, agnorumq;*. Vtique & hic pastor omnium ouium, agnorumque, circumcisionis, id est unus, non solus pastor, excludendo alios: nam & *Iacobus*, frater Domini, Hierosolymis pastor & Episcopus, & ille pastorum pastor, omnium, viz. Apostolatui suo aliorumq; subordinatorũ ὁ πεπιστευμενος τὴν ποίμνην, cui creditũ ouile, non concreditũ vniuersale ouile, ut soli &

Epist. in Ancorato. In vigil. Sancti Petri.

uni,

uni, sed cū alijs Apostolis, Apostolocisq; viris, quare & compresbyterō se appellat *Petrus*, non uniuersalem pastorem: *Presbyteros in vobis obsecro, ut compresbyter.* 1.Pet.5
Annon mirâ, nouâ, falsâ, si sic ratiocinaueris, narrares: *Petrus* Ecclesiæ præponitur, & eum elegit, pastorem Dominici gregis, Christus, quæ sunt verba *Ambrosij*, ergo nullus alius pastor præficitur Ecclesiæ, at dictum est, *Petrum* cum alijs, gregem accepisse dominicum, ab eodem *Ambrosio*. Pari argutia ita concludere poteris, vel potius inconsequentia: *Euangelium gloriæ, beati* Dei, *creditum est mihi*, id est, *Paulo*; nullatenus igitur *Petro* alijsve: vel ad hunc modum, *Positus sum ego prædicator & Apostolus, gentium Doctor in fide & veritate*, ergo nullus alius. Haud minoris absurditatis est paraphrasis tua: *Esto vicarius meus*, esto tu unus & solus, cum nec illud vocabulum *Vicariatus* reperiatur totidem syllabis in nouo Testamento, legationis vero Apostolatus, Episcopatus, Presbyteratus

Amb. de dignit. Sacerdot. cap. 2. 1. Tim. 1. 1. Tim. 2.

teratus, similia non uni alicui annexa, sed pluribus communicanda inueniantur. De vicario Christi, ac de vicaria vi spiritus sancti, *qui credentes agat*, quod loquitur *Tertullianus*, postmodò uidebimus, cum de Orthodoxis clarissimi regis dogmatibus disputationem instituemus. Sit igitur concluſum in causa, alios esse clauigeros præter *Petrum* Apostolum, alios pastores: nempe, Davidem *suum, quem à caulis accersiuit ad pascendum* Iacob, *suamq; hæreditatem Israel, qui pauit eos secundum innocentiam cordis sui*: nempe, *Cyrum pastorem suum, perfecturum omnem voluntatem suam*. Hos quidem ob Ecclesiæ præsidia, & gubernacula, illos ob spiritualia charismata. Apage illam paradiatriben tuam de clauibus, Petro *non Regi vel Imperatori datas esse claues* Ecclesiæ, *id est, datam potestatem, & officium gubernandi* Ecclesiam. *Hoc ipsa Metaphora planè significat* (inquis) *& vsus confirmat, ad significandum principatum*; Esai. 22. *Vade & ingredere ad* Sobnam, *& dic ad eum, Quid tu hic? expellam te de statione tua, & ministerio tuo*, in aula regia,

Tertul. de præscrip. aduersus Hæreticos & de veland. Virg.

gia, *& deponam te: et vocabo seruum meum* Eliacim, *& dabo clauem domus* Dauid *in manu eius*. Et Apocal. 3. 7. *Hæc dicit sanctus, & verus qui habet clauem* Dauid, *qui aperit, et nemo claudit, qui claudit, & nemo aperit*, dictum verissimè de Christo, non de clauigero aliquo, vel Ianitore cæli scilicet *Petro*. *Hinc &* Gegorius: *cunctis* Euangelium *scientibus, liquet quod voce dominica, omnium Apostolorum principi* Petro, *totius Ecclesiæ cura commissa est, ipsi quippe dicitur. Tibi dabo claues regni cælorum.* Dictum hoc à *Gregorio*, nimirum ab eo, qui Pontifex Romanus testimonium in sua causa dicit, ne audiendus quidem. Sed & ille uniuersalis nomen respuit, & in se, & in alijs, neq; huius authoritas excludit alios Apostolos à cura ouium, à potestate clauium. Facillima solutio est illiusmodi obiectionum: quæcumque demum claues, siue scientiæ, siue jurisdictionis; attributæ sunt reliquis, perinde ac *Petro: Pascite quantum in vobis est gregem Domini &c. Non dominantes.* Qua vera *Petri* authoritate, usurpata

Petri authoritas peruellitur. Aliud est argumentari à recto vsu clauium, aliud ab abusu: uos *Petri* claue, collationes omnium Ecclesiasticorum reddituum, distributiones, & deuastationes regnorum, mercaturam animarum arrogatis, peccata remittitis, indulgentias largimini, Apostolicas benedictiones, & maledictiones regibus, & alijs impertimini: purgatorium, infernum, omnia deniq́ue præter unicum, quod verarum clauium potestas requirit, quippe regnum Dei, reseratis, ac clauditis. Quod igitur in persona populi loquentem, facit *Barclaium Bellarminus*, in dialogo inter pontificem & populum, expositiones & restrictiones tuas accipimus, modo non ius diuinum & naturale impediat, omnino non accipimus, siquidem in bono sensu, neutiquam *Petro* dedit Christus potestatem faciendi de peccato, non peccatum & de non peccato, peccatum. In talibus certè opificijs, & artificijs vestris, intromittendi, eijciendi, soluendi vincula peccatorũ, legis,

Cap. 31 in Dialogo.

Sanctus *Paulus* Eph. 4 loquitur de structura Ecclesiæ, per verbum, et sacramenta, et de opere ministerii: non de nutritione, et conseruatione, et magisterio Ecclesiæ, vel de opere exteriore.

---

legis, voti, iuramenti; ligandi per præcepta, & pænas, nullum legitimum jurisdictionis excercitium, nulla, nisi illegitima, potestas clauium, nulla fidelitas vestra, nulla sinceritas in vniuersa *domo Dei*, quæ est Ecclesia. Secundo uenis ad *testimonia Apostolorum*, vel potius Apostoli *Pauli*: profers tria, Act. 20. *Attendite vobis &c. Ephesior.* 2. 20. *Superædificati &c. Eph.* 4. 11. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam prophetas, alios Euangelistas, Pastores, Doctores &c. Nulla fit Regum mentio.* Ex his ita concludis. *In Ecclesia Christi est legitimus quidam ordo, in quò, alij prælati, alij subaiti sunt: alij pastores, alij oues; alij in fundamento, alij suprâ fundamentum, alij Doctores, alij discipuli; Vel ergo Reges includuntur in hoc ordine tanquam primates, vel tanquam subditi. Si hoc posterius, saluares est. Si illud prius, necesse est maiori potestate præditos esse quam Apostolos, & Episcopos. Nam, si uel parem cum illis, vel inferiorem potestatem haberent, non rectè dicerentur esse Primates*

Sanctus Paulus Eph. 4. loquitur de structura Ecclesiæ, per verbum, et sacramenta, et de opere ministerii: non de nutritione, et conseruatione, et magisterio Ecclesiæ, vel de opere exteriore.

Ecclesiæ. Si ergo maiorem habent, ea sine dubio ipsis à Christo *concessa est. At vbi, & quibus verbis? aut vbi Apostoli in suis scriptis, et actis, illius potestatis à Christo concessæ meminerunt? In testimonijs citatis nihil inuenio. Omnes silent de* Regibus; *loquuntur de Apostolis. Solus rex Angliæ, cum suo Sacellano, dicit Rem ita habere. An à uobis inquit Apostolus verbum Dei processit? aut in vos solos peruenit?* 1. Cor. 14. 36. Ad illud, *Vel ergo Reges includuntur hoc ordine tanquam primates, vel tanquam subditi:* Respondeo, Apostolum loqui de structura, & de Architectura Ecclesiæ, quod ad verbum prædicandum & sacramẽta administranda attinet, & de opere ministerij: de exteriore regimine & magisterio, nutritione, fulcimento, conseruationeq; non loqui hoc in loco sed in alijs. Satis præsidij fuit in seipsis ad illud tempus primæve Ecclesiæ, cum ipsi Apostoli, Euangelistæquè coruscarent miraculis, uirtutesquè magnas facerent, dæmonia partim eijcerent, partim subijcerent sibi ipsis in nomine Christi: obstinatos, ac rebelles *Satanæ traderent*

ad

Reges etsi includuntur in serie illius loci quart, Ephes. ut subditi Ecclesię, tamen per illum locum non excluditur primatus, qui reperitur alus in locis.

ad destructionem carnis, ut & discant non blasphemare. De rectione, ac directione Ecclesiæ, ac de tota œconomia ejusdem, providè alijs in locis multa salutaria decreta constituere, ad benè esse illiusmet Ecclesiæ præsentis & futuræ, donec *Lac Regum, Reginarumq; exugeret*, & ministraretur ei pro Christo: iuberentq; reges pro Christo, *in quantum sunt Reges, quod non possent facere nisi Reges.* Quod totum ex vaticinijs prædictum est anteà, impletum ac stabilitum posteà. Ludis itaq; (*Becane*) in ambiguo & æquivoco, primum, quod velis eos ipsos *Reges includi, vel tanquam primates, vel tanquam subditos.* Includuntur tanquã subditi, id est, filij Ecclesię, utpote participes divinæ gratiæ, & toti Ecclesiæ catholicę & mysterijs ejusdem subiecti, quia necesse est, ut *consummentur* reges & principes, ut reliqui sancti: neq; per illam authoritatem S. *Pauli* excluduntur, ut primates, id est, gubernatores primarij omnium personarum civilium, & ecclesiasticarum, quod satis est ad retundendam vim dilemmatis tui.

De

De alio genere primatus in ordine Hierarchicho antè deservimus, tibique, nisi cæcutias in luce meridianâ, sæpiusculè ostendimus. Tota vis dilemmatis tui (*vel includuntur, vel non*) tanquam plumbei pugionis acies retunditur: nam alterum, id est, tertium, vel medium lemma, contra te sumi potest, satis est quod per hunc locum Reges à procuratione Ecclesiæ non excluduntur. Illud autem Asystaton planè est tuum, Si includuntur, *maiore potestate* Reges *præditos esse quàm Apostolos & Episcopos:* Semper hîc erras, ut in foveam, vel fallaciam à secundum quid, ad simpliciter impingis, quia fines utriusque jurisdictionis vel ignoras, vel non disterminas. Est autem (quod antè monueram) Apostolatus vel Episcopatus honoratior ac major, secundum perfectionem quandam, & spiritualem consolationem, non autem ἁπλῶς, id est, simpliciter. Quæris autem à nobis, ubi Apostoli in suis scriptis, & actis regiæ illius potestatis meminerũt: At à vobis possim regerendo quærere,

ex

ex quo loco, tanquam à fonte *Petri*, vel *Pauli*, primatus Romanus veſter ſupra totam Eccleſiam arceſſitur? Deinde requirerem: quâ ratione probetur, dignitatem hanc eſſe non modo *Petri* propriam, ſed ſucceſſorum omnium. Deniq; doceri percuperem, utrum *Petri* ſedes, vel perſona, gauderet hoc primatus privilegio, & ubi pro certo, Romæ an Antiochiæ conſtituta ac fixa cathedra *Petri* eſſet. Cùm autem omne privilegium ſit perſonale, reale, vel mixtum: ſi perſonale, ergo nihil ad locũ: ſi reale, nihil ad perſonam: ſi mixtum, ergo nulla loci abſque perſonæ reſpectu habenda ratio eſt. Poſtremò, cum antiquioribus ſæculis, Martyres, Confeſſores, alijque pij Epiſcopi Romani, ſucceſſores *Petri*, à nonnullis, & dicerẽtur, & ſcriberentur, quo jure, vel potiùs injuria, poſterioribus ętatib', nomine mutato, Chriſti Vicarij, potiùs quàm *Petri* ſucceſſores, vel ambitione inflati, vel adulatione ſuorum incitati audirent, abs te poſſum quærere. Invenio nihil proviſum faſtui Pontificio, multum

multum autem honori Regio consultum & attributum. Honorandos omnes, honorandum Regem præcipuè: orandum pro omnibus: deinde ac si primum locum dedisset Regibus, *Pro Regibus, & omnibus in sublimitate constitutis*: talis autem est generalitas hujus obedientię ac reverentiæ exhibendæ Regibus, ut *Paulus* jubeat, simulq; *Petrus*, *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*: &, *Subditi estote omni humanæ ordinationi, sive regi ut præcellenti*. Hoc argumentum autem, tantũ abest, ut retrocedat, ut nihil fœlicius procedat. Nam si id debitum Regibus ethnicis & prophanis, multò magis & Christianis: & certè *propter conscientiam*, & *ob vitam tranquillam, ac quietam degendam, in omni pietate & honestate*. Veruntamen tu hoc non invenis, tu hoc non vides; vel tenebrę oppleverunt, vel malitia occæcavit mentem tuam: *Solus* (inquis) *Rex Angliæ cum suo Sacellano, dicit*, *Rem ita se habere*. At non modò religiosissimus, & doctissimus Rex, & acutissimus disputator, & accuratis-

curatissimus Scriptor Elienſis, vidit Rem ita ſe habere, ſed docti in bibliothecis, & doctores in Academijs, & concionatores in pulpitis, & omnes omnium ordinũ mortales in Eccleſijs reformatis, Deum, verbumq; ejus reverentes, cernunt rem ita ſe habere, ſolùm aciem oculorum Ieſuiticorum falſitas perſtringere poteſt, quo minùs videat rem ita ſe habere. Tertiò, accedis ad *Eccleſiæ praxin*, quæ ſervata eſt tempore Apoſtolorum. Quæris, *quis tum Eccleſiam gubernavit?* & ſubjicis *Apoſtoli*, Act. 20. 28. *qui Synodum primam indixerint Hieroſolymis? qui præſederint, ſententiam dixerint? legem de abſtinentia ab immolatis, & ſanguine, & ſuffocato, ſanciverint? Apoſtoli.* Sciſcitaris denuò, *quis inceſtuoſum excommunicaverit?* Paulus *Apoſtolus: quis accuſationem adverſos Preſbyteros poterit admittere?* Timotheus *Epiſcopus.* Conceduntur omnia: quia licet ampliata fuiſſet Apoſtolica authoritas, haud tamen diminuta Regia poteſtas. Vltimo percunctaris, *Quis* Ananiam & Saphiram *in cauſa eccleſiaſticâ puniverit?* reſpon-

respondes ipse tibi. *Petrus Apostolus.* At illa vindicta non erat humanæ, sed divinę manus: *Nequaquam* Petrus *imprecatur eis mortem, ut stultus* Porphyrius *calumniatur, sed* Dei *judicium spiritu Prophetico eis annunciat.* Vel ut Origenes: *Petri verba catechizabant animas eorum, ut puriores exirent ex hâc vita.* Concludis universim & negativè: *Nullæ hîc partes Regum:* quia nulli Reges, sanè quidem, pro parte nostrâ concludis. At verò Præoccupationis loco, ac velut objectionem nostram præreplurus nobis, statim subjicis. *Dicet fortasse Rex, eo tempore nullos fuisse Reges, qui Ecclesiam gubernare, vel hæc officia præstare potuissent.* Diceres omnia vel aliqua: nam illa extraordinariæ penæ irrogatio, vel Prophetica denuntiatio per divum *Petrum*, & excommunicatio per Sanctum *Paulum* nullæ erant, vel esse poterant partes regum. Rectè quidem subjungis, sed *nec erant Apostoli, aut Episcopi Christiani, antequam eos vocârit Christus. Sicut ergo novos Apostolos & Episcopos, in nova Eccle-*

Hier. ep. 8 ad Deme.

sia

sia instituit, cur non novos Reges qui Ecclesiæ præessent: & sicut Saulum *in vas Electionis mutavit, cur non simili modo cum* Tiberio *Imperatore, vel* Herode *rege?* Hîc desideramus sapientiam tuam (*Becane,*) cùm talia interroges? *Vbi sapiens, ubi scriba, ubi inquisitor hujus sæculi? annon Deus infatuavit sapientiam hujus mundi: Quis novit mentem* Domini? *qui instruet eum? nos autem mentem Christi habemus.* Obturabit tibi os Apostolus quærenti talia, vel conquerenti, expostulantiq; cum Deo: *Videtis (fratres) vocationem vestram, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed stulta mundi elegit* Deus, *ut sapientes pudefaciat: & infirma mundi, ut pudefaciat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit* Deus, *ut nulla caro gloriaretur in conspectu ejus.* Vocavit *Saulum*, & mutato nomine, eundem *Paulum* vocavit in vas electionis, ut nomen suum portaret, coram gentibus, & regibus filijsque Israel,

Reges non vocabantur ad Regimen Ecclesiæ, tempore primitivo, quia nec vocabantur efficaciter ad agnitionem veritatis.

Israel. Secundum beneplacitũ suum alios efficacitèr vocat, alios non omninò, quia *non est volentis, neq; currentis, sed miserẽtis Dei*. Reges autem, ac mundi Principes, adhuc ad agnitionẽ Evangelij efficacitèr non erant vocati, quanquam nihil probabilius est, quàm *Herodem, & Agrippam*, alioſq; de Evangelio audiviſſe. Sed, jam ſumpturus es novũ argumentum, quod quarto loco poſuiſti ex *circumſtantijs*: ex eadem fidelia duos dealbas parietes. *Si Chriſtus* (inquis) *voluit Reges eſſe primates Eccleſiæ, & ſupra Apoſtolos juriſdictionem exercere, cur non ſtatim ab initio, ſicut certos Apoſtolos elegit, ſic etiam certos Reges deſignavit, qui Eccleſiæ præſiderent? Cur nõ ſtatim ſicut Apoſtolos inſtruxit, quo pacto prædicarent Evangelium, adminiſtrarent Sacramenta, & Eccleſiam propagarent: ſic etiam Reges edocuit, quâ ratione Apoſtolis & Doctoribus in regimine eccleſiaſtico præeſſent, Synodos convocarent, controverſias dirimerent, contumaces excommunicarent? cur deniq; ſicut Apoſtolis, præter privatam inſtructio-*

institutionem, promisit S. Sanctum, cujus instinctu, cætera omnia cognoscerẽt, quæ ad ipsorum ministerium pertinebant: sic non etiam Regibus promisit eundem spiritum, qui eos in suo perfectiùs officio omnia edoceret? Nihil horum factum. Iam pro solitâ tuâ jactantiâ novum velle te procudere argumentum affirmas: novum certè, & novitium in fide Christi esse, te oportet, mirum, stultum, delyrum, qui talia commentaris. Trja quæris, *Cur non certos Reges, sicut certos Apostolos, &c. statim ab initio, elegit Ecclesiæ* præsides? *cur non certâ ratione instruxit eos, pro regimine Ecclesiastico? cur non præter privatam institutionẽ, sicut Apostolis, sic Regibus spiritum suum promisit? &c.* Cur non item quæris?

Dic quibus in terris, inscripti nomina regũ
Nascuntur flores. ——

Ad hęc tria ζητήματα, uniusmodi, & simplex responsio nostra. O altam sapientiæ, cognitionisq; Dei opulentiam! quàm *penitùs recondita ejus judicia! quám abstrusæ sunt eius rationes! quis enim mentẽ Dom. novit,*

aut quis ejus fuit conſiliarius? Scrutare ſi libet profunda Dei, *Abyſſus Abyſſum invocat.* Nondũ venerat plenitudo temporis, ut vocarentur Reges: ab ortu Solis, uſque ad occaſum ejus, univerſus orbis terrarum vocandus erat. Intereà, loci, ac temporis revelavit Deus ſuâ myſteriâ *parvulis, non ſapientibus*, non potentibus, quos celavit. Erat quædam Eccleſiæ infantia, erat adultior, ac maturior ætas: pro illis temporibus erat ſatis præſidij in Apoſtolis, Apoſtolicisq; viris, atq; Evangeliſtis, pro gubernandâ Eccleſiâ, nondum omnes nationes ad fidem Chriſti converſæ, nondum Reges. Ex vaticinio *Eſaiæ*, tam Euangeliſtæ, quàm Prophetæ, adducendi ad Chriſtum, Reges, qui forent *Nutritij Eccleſiæ*, patres, præſides, defenſores, tutores: hij, ex verbo divino, quod ſuâ intereſſet pro regimine Eccleſiæ, tum erudirentur, tum ſpeciale auxilium Spiritus ſancti peterent, atq; in id negotij toto pectore incumberent. Promiſſio S. Sancti facta eſt, ut eſſet cum illis Apoſtolis, qui

Primitias

Primitias Spiritus habuerunt, cum omnibus fidelibus *usquè ad consummationem mundi*: minimè necessarium, at maximè absurdum, ut certorum Regum nomina, & cognomina exposceres, certamvè formam expectares; pæstolanda omnia, & præstanda omnia, in suo tempore, in coalitione Ecclesiæ, & Imperij, pro Israele secundum spiritum: velut antè, in institutione regni in Ecclesia, & Ecclesiæ in regno Israelitici populi secundum carnem, factū verò est hoc, factum etiam & illud: quod eventus, & exemplis, & documentis Regū Christianorum, in omnium ætatū, annaliumque revolutione, luculentèr comprobavit. Satis igitur, & incassum hoc *Sisyphi* saxum volvis, in verticē capitis tui relapsurum: pergis ad objectionem doctissimi Regis nostri. *Sed multa* (inquis) *objicit* Rex Angliæ *in suo Apologia, his verbis*: *Quid in novo Testamento? Omnis anima ijs (Regibus) subijci jubetur, idq; propter conscientiam. Orandum quidem, & pro omnibus, sed præcipuè pro Regibus, & in authoritate constitutis, ut sub ijs, piā, ac pacatam vitam, honestāq; degamus. Magistratus Dei admi-*

nister est ad ulciscendos facinorosos: innocẽtes autem, atque probos remunerandos. Omnibus quidem obtemperandum est superioribus potestatibus, sed potissimùm principibus, & in eminentia collocatis. Reddite unicuiq; quod suum est, timorem cui timor: amorem cui amor jure debetur. Date Cęsari *quæ* Cæsaris *sunt;* Deo *qui* Dei *sunt.* Regnũ *meum non est de hoc mundo. Quis me constituit judicem super vos? Reges gentiũ dominantur eorum, vos autem non sic.* Hactenus Rex. *Sed facilis* (inquis) *est solutio,* generatìm & speciatìm, ac dicis. *Hæc testimonia partim ad quæstionẽ, de qua agitur, non faciunt: partim quatenùs à Christo, & Apostolis prolata sunt, pertinent ad Reges ac Imperatores ethnicos, cujusmodi erant* Tiberius, Caius, Claudius, Nero, *& similes. Certum autem est Christum, & Apostolos non voluisse suis testimoniis significare, reges & Imperatores ethnicos habere primatum in Ecclesia. Qui enim sunt extra Ecclesiam, quomodo primates sunt in Ecclesia? Qui ne quidem membra, quomodo caput? qui hostes Christi, quomodo Vicarij?* Omninò faciunt

hæc

hæc testimonia, & pro ordine politico, quem Christus noluit perturbare, voluit enim *omnes homines*, etiam hostes suos, *venire ad cognitionem veritatis, Tiberiũ, Caium, Claudium, Neronẽ:* neminẽ perire: & quod esset ex officio suo, nostroq; planè intelligere, & pro regimine ecclesiastico, cæteróq; qui malè consultum fuisset reipub. Christianæ, si præsenti, ac non in futuro statui etiã provisum esset, ac in longitudinem temporis prospectum. Quare respicit Apostolus universam Ecclesiæ œconomiam, è talibus præceptis fundandam, & stabiliendã, quandiu esset Ecclesia. Audivimus hactenus disputatorẽ subtilem, nunc audiamus interpretẽ fidelẽ, & cõmentatorem non ignobilẽ. Numerus novenarius est locorũ, quos è libro seren. Regis excerpis, & speciatim respondes ad singulos, *Omnis anima potestatib° sublimioribº subdita sit, id est, secundum te. Omnis homo qui sub potestate sit, debet obedire suo superiori in rebus, in quib° superior.* Doctissima sanè expositio, & ad regulas *Benedicti, Francisci, Ignatij* loiolæ, aliorumque ejus farinæ firmandas aptissima, Ro. 13. 1.

omniumque κακοζελίαν, & εθελοθρησκίαν stabiliendam convenientissima, dummodo superiores sint, qui eas introducunt. Aliter Apostolus *Paulus*, qui jubet, *ut omnis anima subdita sit sublimioribus potestatibus*: & *Petrus*, qui declarat, quænam sublimior sit potestas, *Subditi estote omni humanæ ordinationi, & Regi, ut magis præcellenti*, vel sublimi, ὑπερέχοντι. Idem profectò vocabulum sublimitatis, & præcellentiæ in utroque. Hîc iterum negas Regis præcellentiam in rebus ecclesiasticis ordinandis, nos antea suis finibus utramq; jurisdictionem discrevimus. Ad illud, 1. Tim. 2. Orãdum *pro omnibus, sed præcipuè pro Regibus, & omnib⁹ in authoritate constitutis, ut quietam & tranquillã vitam agamus, in omni pietate & honestate*, ais, *partim malè citatũ, partim malè intellectum*. Quid est hoc ipsum, pro omnibus omnium ordinum hominib⁹, nisi primũ quidem omniũ pro Regib⁹, alijsq; in sublimitate constitutis? nec est hęc adæquatio omniũ hominũ cũ Regibus, sed αὔξησις, sive *Incrementũ*. Pulchella sanè interpretatio tua: *Orandũ pro omnib⁹*,

&

Orandum pro omnibus,&c. non est adæquatio omnium hominum cum Regibus, sed αὐξησις sive Incrementum.

& non magis pro Regibus,in quacunque demùm sublimitate collocatis, quam pro plebijs hominib⁹. Etenim cùm duplicem sustineant personam,& quâ homines, & quâ Reges,maximè indigent Christianorũ precibus: duas istas particulas expungis,illas voculas *præcipuè,& sub ijs*,quarũ altera æquipollet voci πρῶτον,& πρῶτον παντῶν. Primùm,pro omnibus, si singulos in singulas classes distribueris, veniunt Reges primi,& ante omnes,reliquiq; in celsitate constituti,pro quibus orandũ est,quibusq; obediendum. *Propter conscientiam*, cõscientiã opinor, in civili & ecclesiasticâ politeia: pietatẽ credo præcipuum scopum præfixum illis in ambabus. Quod ad salutẽ animarum,*nulla personarum acceptatio apud Deum*.*Deus vult omnes salvos fieri*,& Principes,& plebeios ad ordinẽ politicũ, & ecclesiasticũ conservandum, præcipuã curã agit pro Regib⁹.Perridicula sanè excursio tua in Regẽ Angliæ,& Sacellanum ejus:*An Deus magis vellet, ut Rex salvus fiat,quàm ejus Sacellanus* ? cùm Deus ita curet singulos tanquã universos, univer-

ſos tanquã ſingulos. Liberaliores *Anglo-Rhemenſes* noſtri, qui planè concedunt, orari Deũ oportere pro Regib⁹, & Magiſtratibus Chriſtianis. Abſurdiſſima concluſio tua, quã colligis: *Orandum pro Regibus gentilibus, ut ad fidẽ convertantur: ergo, Reges Ethnici tenent primatũ in Eccleſia*: inferre debueras, ergo multò magis orandum, ut converſi benè, ac beatè gubernent Eccleſiã. Sed iſtarũ nugarum & pudet te, & pertæſum eſt nos jam diu, ô nugaciſſime *Becane*. Illud verò, Magiſtratus Dei *adminiſter eſt, ad ulciſcendos facinoroſos, vel Dei miniſter in irã ei, qui agit malum*, nihil ad rẽ facere proclamas, & negas *extendi hanc poteſtatem ad tribunal eccleſiaſticũ, ubi præſident Apoſtoli & Epiſcopi*. Nimium labefactas poteſtatẽ regiam, ſaltem ſi verboſitate fieri poteſt, ut convellatur: hîc referendus es ad ea quæ ſunt à me diſputata prolixius: pro exemptione clericorũ nihil habes, quod non profluat à munificentiâ principũ, pro juriſdictionis amplitudine, quod non ab codẽ fonte dimanet, cętera uſurpata ſunt, vel cùm bona

vel

vel mala venia principum, & vestrorum canonum indulgentia. *Eiusdem* (ais) *momenti est illud*: Omnibus *est obtemperandum superioribus, sed potissimum principibus, & in eminentia constitutis. Omnino sic res habet*, fateris, *sed addendum est, alios esse superiores in temporalibus, alios in Ecclesiasticis*, in vtroque genere reperiri principes quibus obtemperandum sit; nimirum cranbem eandem recoquis, istud additamentum nullius certe momenti est, quia liquidò probauimus, reges Christianos, et cognitores istarum causarum, & sanctionum conditores pro rebus Eccleasticis. Fastuosus certè, & turgidus ille principum Ecclesiasticorum titulus, si eô ministros Christi, & dispensatores mysteriorum eius sub-nixos ambulare autumes: maxima dignitas non minor potestas Episcoporum pastorumq; Ecclesiæ sed à splendore secularium potestatum longissimè dissidet, vtinam *Becane* ad sobrietatem saperes. Porrò; Reddite *unicuique quod suum est, timorem cui timor, amorem cui amor iure debetur*

debetur Rom. 13.7. non vides quomodo primatum stabiliat pro Regibus, potius quam pontificibus, & pueriliter subiungis, *Ergo & parentes sunt primates Ecclesiæ*. Nos certe peruidemus, parentes patriæ, id est, Christianos principes obtinere primatum in Ecclesia, quod uos illis inuidetis, Apostolus argumentatur à distributis, et suum cuique dilargitur, *tributum, vectigal, timorem, amorem, reuerentiam*, quæ omnia regibus persoluenda esse ipse omnium regiorum arrosor titulorum, & osor regum, non es negaturus. Authoritatem, *Mat.* 22.21. Reddite *Cæsari quæ sunt Cæsaris, Deo quæ sunt Dei, omnino extra scopum*, nec metam ferire uis. At puto *Cæsarem* aliquando intellecturum cum magno vestro dispendio meliús te, aliud debitum *Cæsari*, aliud Christiano *Cesari* debitum. Atque utinam omnes Dynastæ, Tetrarchæ, Reges, Imperatores, siue Græci, siue Barbari, ad Christum conuersi, hoc acroama libentius audirent, meliús prouisum esset orbi

Christi-

Christiano : Singulorum testimoniorum à Rege clarissimo dictorum uim, lepore tuo eleuas, ut neruos primatus regij valeas elidere. *Multo minus* (inquis) *ad causam facit illud Iohan.* 18.36. Regnum *meum non est de hoc mundo:* ex quo textu istud consectarium colligis. *Christus, & Apostoli administrant regnum spirituale, Reges temporale. Ergo Reges se immiscere non debent negotijs Ecclesiæ.* Negatur consequentia, disputas ab homonymia verbi illius [regni] Christus solus, & unus Rex est, & monarcha spiritualis: Episcopi, Apostolorum successores, coadiutores ministri συνέργοι, dispensatores legati, immo serui, præsides sub Christo constituti : Reges tantummodò, administrant in foro exteriore Ecclesiæ, & externorum, externi custodes sunt. Verúm tu nihil nisi principatum, regnum, monarchiam pontificiam, eamq; παμβασιλείαν, somnias. Etiam & illud *Lucæ.* 12. 14. *ver.* à rege prolatum rimaris, Quis me *vobis iudicem, aut diuisorem constituit?*

Christus

Christus unus & solus administrat regnum spirituale, Apostoli, Episcopi, alique sunt ministri coadiutores.

Christus noluit hæreditati herciscundæ se immiscere: rectenè infers? ergo Rex Angliæ non est constitutus Iudex in spiritualibus! Rectissime. Non se iudicem fidei, sacramentorum, scripturarum, clauium, liturgiæ profitetur: summus tamen procurator est Ecclesiæ, habetq; in suo regno uisitatores, judices, commissarios, officiales, qui trutina verbi diuini singulas materias expendentes, debent & solent iudicare. Hic loeus admonere poterat *Alexandrum* sextum, vestrum diuisorem orbis terrarum, qui alterum Lusitanis, alterum Hispanis hæmisphærium, vel duas partes orbis terrarum partes adiudicauit. *Quis te constituit diuisorem vel Iudicem* O Alexander *Papa*! Vltimò tuis ponderibus examinas illam præclaram seruatoris nostri sententiam. Luc. 22.25. Reges *gentium dominantur eorum, vos autem non sic. Quæris quid prodest ad primatum de quo agimus*? Magnopere prodest, quia retundit ambitiosum illius spiritum qui se *caput Christianitatis & Domi-*

Dominum mundi venditat, à quo fastu ut longissimè abhorrerent, suis Apostolis imperat Christus, atque intra fines officij singulos, & principes, et subditos continet. Iam vero, quasi nobilem & lemniscatam palmam nobis pro pontifice tuo prærepturus, iactanter concludis. *Hinc iam inferat Rex Angliæ, cum Christianus sit non debet ambire primatum Ecclesiæ, quem multis annis Pontifex Romanus legitimè & quietè usurpauit.* Sus (quod aiunt) *Mineruam* doces, quo modo Clarissimus Rex Britanniæ pro se ratiocinaretur, ipse docendus. Re vera complexio est talis. Apostoli non debent esse ambitiosi more gentilium: ergo multo minus qui Apostolicam fidem, sedem, cathedram, possidere se gloriatur, debet ambire Ecclesiæ principatum. Vsurpationem illam, multo minus pacificam & quietam possessionem quam prætexis, vtpote annis octingentis quinquaginta post Christum natum, toti orbi Christiano incognitam, penitus repudiamus.

An

An Rex, jure ciuili, vel Canonico, habeat primatum Ecclesiæ.

CAP. IV.

NEVTRO sane (dicis) *De canonico res clara est. Multi extant canones in contrariũ. Ex ijs paucos accipe. Primus est* Nazianzeni *ad Imperatores Constantinopolitanos apud* Gratianum D. 10. Can. 7. *Libenter accipitis quod lex Christi sacerdotali uos subijcit potestati, atque istis tribunalibus uos subijcit. Dedit enim & nobis potestatem: dedit enim & principatum multo perfectiorem principatibus vestris. Ex hoc canone tria habemus* (inquis) 1. *quod principatus Episcoporum sit multo perfectior quam Regum.* 2. *Quod Reges in rebus Ecclesiasticis subiecti sunt Episcopis.* 3. *Quod hæc subiectio à Christo*

Christo sit ordinata : *Quid clarius* ? Nouam nunc supellectilem de jure Canonico expromis.

Tecũ habita, & noris quam sit tibi curta supellex.

Paucos canones delibas ex integro aceruo, quos *sufficere* arbitraris, suspicatus *eorum iudicio nolle acquiescere Regem Angliæ*. Non immeritò. An Patrum dogmata cum *Melchiore* Cano tanquam legem Dei suscipiant Sanctæ Ecclesiæ? Hæc autem sunt additamenta (ut verissimè vobis exprobrat *Agrippa*. *Indies accumulant noua decreta, paleas, extrauagantes, declaratorias, Cancellariæ regulas, &c. Quid hinc lucri accrescit Ecclesiæ Christi?* Pergit : *Ex horum canonibus didicimus Christi patrimonium esse regna, castra donationes, fundationes : sacerdotum primatum esse Imperium, gladium Christi, esse temporalem potestatem* ; Petram *Ecclesiæ esse personam Romani Pontificis : ministros*

esse

eſſe capita Eccleſiæ, bona Eccleſiæ eſſe purpuram, mitras, aurum; & quæ ſequuntur. Heccine pari veneratione, pari pietatis affectu ſuſcipienda ſunt, vt *Synodus Tridentina*, decreuit? An non hoc eſt *tranſgredi mandata Dei propter traditiones hominum*? Interim audiamus, diſcutiamus, ſi quid ex decreto *Gratiani* vel impuro, vel repurgato, per *Gregorium* 13. vel decretalibus veſtris affers. *Locus primus eſt* Nazianzeni *ad Imperatores Conſtantinopolitanos apud* Gratianum, ſed verius ad ciues trepidantes, & præſidem iratum, *Iulianum* tributorum exæquatorem, ſubordinatum magiſtratum, non ſummum, quem tamen ſic affatur. *Cum Chriſto geris Imperium, cum Chriſto rempublicam adminiſtras, à Chriſto gladiũ es cõſequutus,* καὶ ὁ νόμος τὸ χρισοῦ ὑποτίθησι νύμας τῇ ἐμῇ δυνασείᾳ, καὶ τῶ ἐμῶ βήματι, ἀρχομὲν γαρ καὶ αὐτοι προσθήσομεν δὲ ὁτι καὶ τὸν μείζονα καὶ πλειοτέραν ἀρχὴν.

Hunc locum expendit *Elias* Cretenſis Epiſcopus: nimirum authoritati ac *poteſtati Eccleſiaſticæ* ſubijcit uos, id eſt

tanquam

tanquam ouem sacram sacri gregis. Conceduntur omnia illa verba ἀρχομαι, ἀρχη, συνεδρία, βῆμα, confirmant Ecclesiasticam potestatem, monendi, redarguendi, corrigendi, præsidem excandescentem, ex uerbo Dei, non tollunt primatum Imperatorium, subijciuntur reges, ac præsides, singulis, & vniuersis sacerdotibus, in rebus Eceleſiasticis. Res Ecclesiasticæ sunt salus animarum, spiritualia charismata, in quibus suscipiendis oues sunt sacri ouilis quicunque demum sunt. Imperium pro Christo non est Dominatus, non est principatus, suggestum siue βῆμα, non est tribunal terrenum: Sed huic loco antea responsum est, vbi ostendimus qua ratione Ecclesiastica potestas temporali potestati præfulgeat, *capite primo.* Aduerte ex hoc loco, principes & reges, & Regum præsides, *cum Christo gerere magistratum, cum Christo rempublicam administrare Christianam*, neq; terrenam tantum modo potestatẽ exercere.

Secundus est (ais) Adriani Papæ. D.63. Can.1. *Nullus laicorum principum sese inserat electioni, aut promotioni Patriarchæ, Metropolitæ, aut cuiuslibet Episcopi: ne uidelicet inordinata, & incongrua fiat electio, vel confusio vel contentio: præsertim, cum nullam in talibus potestatem quenquam potestatiuorum, vel cæterorum Laicorum habere conueniat. Ex hoc etiam canone, tria discimus.* 1. *Quod nullus princeps secularis (qualis* (ais) *est Rex Angliæ) debeat se inserere promotioni, aut electioni Episcoporum. Quanto minùs debet præesse & præsidere?* 2. *Quod talis electio, cui se inserit princeps sæcularis, sit inordinata & confusa.* 3. *Quod in similibus causis Ecclesiasticis, nullam potestatem habeat Princeps sæcularis, Multò minùs primatum. Adriani* authoritatem, vel anathema, quod sequitur hoc in loco, nihil moramur: veteres (quod scimus) canones pro maiore parte meminerunt testimonij ciuium, & conscientiæ populi, in electionibus suis, *Quod & ipsum uidemus de diuina authoritate descendere, vt sacerdos plebe presente &c. Sub assistentis populi con-*

conscientia, ordinationes sacerdotales fieri opertere, ut detegantur malorum crimina, bonorum merita prædicentur. Quod ipsum testatur *Nazianzenus*, *Purissimæ populi parti, hoc est, & sacris ministris &, nostris* Nazaræis, *quibus vel solis, vel potissimum illis Electiones committi oportebit, sic enim Ecclesiæ nunquam male esset.* Sed & veteres canones ob varios tumultus, consilio, & edicto Christianorum Imperatorum rescindebantur, in quos omne suum ius populus transferebat, ex quo tempore Capitula Ecclesiarum Cathedralium episcopos suos elegerunt, dummodo ita uisum fuerat Christianis Imperatoribus & principibus. Etenim & *Otho, Benedictum* exauthorauit, quem plebs loco *Iohannis* 13. elegisset, & *Leonem* restituit. Durus sane *Adrianus* vester, qui quemlibet principem (vt uocas) sæcularem vel præsentationi, vel promotioni, vel electioni Episcoporum subducit. *Tertius est* (inquis) *ex Synodo 6. Act. 2. dist. 63. Canone 7. Omnis electio Episcopi*

copi à principibus facta irrita maneat, secundum regulum quæ dicit: Si quis Episcopus sæcularibus potestatibus usus Ecclesias per ipsos obtinuerit, deponatur, & segregentur ab Ecclesiæ omnes qui illi communicant. Sane secundum hunc canonem omnes Episcoporum electiones in Anglia irritæ sunt, quotquot à rege factæ sunt. Vbi ergo Primatus Regis in causis Ecclesiasticis? Sed hæc Nicenæ secundæ Synodi authoritas, imbecillior est quam ut nostram causam lædat. Debueras sane intelligere electiones Episcoporum in magna Britannia. Hîc igitur secundum antiquum huius regni Angliæ commune ius, Rex *suam licentiam capitulo* Ecclesiæ Cathedralis concedit eligendi Episcopum, toties quoties illa vel *illa Ecclesia pastore vel pastorali solatio sit viduata*, quam facultatem eligendi, prisco verbo retento *Conge d'eslire* vocant; mittit una cum illa facultate eligendi idoneam personam, literas suas regio sigillo communitas, in quibus sereniſſima eius Maiestas virum certum ob eruditionem, sanctitatem,

tem, prudentiam, multipliciter commendatum, adhibitis prius in consilium senatoribus regni, eundem nomine designat. Eclectioni factæ *Serenissimus Rex* præbet consensum, Archiepiscopo illius prouinciæ requisito ut eandem confirmet, modo legitimè & canonicè factam, partemq; sic electam cum duobus comprouincialibus Episcopis consecret: Dies & locus ad id negotij præstituitur, ut si quis contra personam electam, aut electionis formã rectam exceptionem habuerit, possit audiri. Electione, confirmatione, consecratione absolutis, Homagium Domino Regi ab Episcopo, & à Rege restitutio temporalium Episcopo præstanda sunt. Episcopi uniuscuiusq; temporalibus, ut vocant, annectitur Baronatus, unde & Episcopi inter Regni proceres, & Parlamenti Dominos numerantur. Quid hîc reprehendis *Becane* vel quid irritum reperis in electionibus Episcoporum Angliæ? *Quartum esse* (dicis) Gregorij *ad* Hermannum *Episcopum Metensem*, D. 96. *canone*. 9. *Quis dubitet sacerdotes Christi Regum & Principum omnium fidelium*

Patres & magistros censeri? Nonne miserabilis insaniæ esse cognoscitur, si filius patrem, discipulus magistrum sibi conetur subiugare, & iniquis obligationibus illum suæ potestati subjicere, a quo credit non solum in terra, sed etiam in cælis se ligari posse & solui? Omnino sic res habet. Miserabilis insania est (inquis) *Reges sæculares usurpare sibi Primatum in Ecclesia, & subiugare sibi Episcopos, quorum filij & discipuli esse debent.* Et quis dubitat Sacerdotes Christi, regum ac principum esse patres, & pedagogos in Christo! Sed ille qui ita scripsit, *Gregorius* septimus ad Episcopum Metensem, durus pater, vel potius capitalis hostis *Henrici* quarti, dictis ac factis simillimus Antichristo. Quærit ille vester Pontifex *Hildebrandus*, *an non miserabilis insaniæ sit, si filius patrem, discipulus magistrum sibi subiuget?* præsertim talem patrem, à quo non solum in terris, sed etiam in cælis, & ligari, & solui possit. Vox plena fastus & jactantiæ, plena stuporis & contumeliæ: dig-

na

nasane uox *Ioue* Capitolino vestro, id est Romano Pontifice. Nos veram obedientiam Regibus, debitam reuerentiã sacerdotibus exhibemus: vos omne jugũ excutitis, aliaque onera non ferenda ceruicibus imponitis principis ac populi totiusque cleri. *Quintus est* Gelasij *Papæ ad Anastasium Imperatorem*, D. 96. Can. 10. *Duo sunt, Imperator* Auguste, *quibus principaliter hic mundus regitur, authoritas sacra Pontificum, & regalis potestas: In quibus tantò grauius est Pondus sacerdotum, quantò etiam pro ipsis Regibus in diuino sunt reddituri examine rationem.* Et infra. *Nosti itaq; ex illorum, te pendere iudicio, non illos ad tuam redigi posse voluntatem. Facto quidem possunt, iure non possunt.* Gelasij aliorumque dictata pontificum Romanorum, quanquam admittere non tenemur, quippe quæ pro turri illa Babylonica immodorati principatus extruenda maxime faciunt, tamen si quid sobriè, & sincerè loquuti sunt, libenter recipimus: dummodo auctoritas veritati,

causaque causæ non præiudicet. Quod ad *Gelasij* rescriptum attinet, causam nostrã nihil lædit, quæ dicit ille Pontifex dabuntur omnia. Equidem facilè concesserim Reges à sacerdotum pendere iudicio, in rebus diuinis, sunt enim rationem reddituri Deo præpotenti, pro animabus quippe inuigilant: haud tamen immunes ac liberi à potestate Regum, *quia omnis anima sublimioribus potestatibus subdita esse* dignoscitur, testante Apostolo. Aliud quiddam est voluntas regia, aliud potestas legitima, à qua nemo, sivè Apostolus, sivè propheta, siuè Euangelista & c. subtrahitur. Et *facto* igitur boni Episcopi ac sacerdotes, et jure se subiecerunt propter conscientiam, mali autem nolentes se subijcere, propter iram volentes nolentes substernuntur. *Sextus est* (ais) *Ioannis Papæ dist. 96. Can.* 11. *Si Imperator Catholicus est: filius est, non Præsul Ecclesiæ. Quod ad Religionem competit, discere ei conuenit non docere.* Et paulo post. *Ad sacerdotes enim Deus voluit, quæ Ecclesiæ disponenda*

sunt

Omnes Reges Christiani nomine, & Catholici cognomine, submittere se, suaque sceptra, debent Christi ac Ecclesiæ.

sunt, pertinere, nō ad sæculi potestates: quas, si fideles sunt Ecclesiæ suæ sacerdotibus voluit esse subjectas. Et infrà: *Imperatores Christiani subdere debent executiones suas ecclesiasticis præsulib°, non præferre. Igitur Rex Angliæ, si Catholicus est; filius est, non Præsul Ecclesiæ: si fidelis est; Ecclesiæ Sacerdotibus subiectus est. Si Christianus est, debet se subdere Episcopis nō præferre.* Si Imperator verè Catholicus est, & non Pseudocatholicus, id est, Romanus, perindè ac alius quicunq; Rex ac Princeps, filius est Ecclesiæ Catholicæ, non Præsul; *ovis sacra sacri gregis*, quod locutus est *Nazianzenus*, meliusque officium callet suum, quam *Iohannes* Papa, & docet alios (quod tibi stomachum movet:) omnes planè reges Christiani nomine, ac Catholici cognomine, ex *Esaia* Propheta didicerunt, indiesq; discunt, submittere se, fascesq; suos, purpurā, diademata Christo, propter bonū Ecclesiæ, Ecclesiæ ob honorē Christi impendendū, addiscuntq; Præsulib° suis res sacras, ac sacramentales ministrantib° obtem-

obtemperare, qua quidē obedientia præstita, probè norunt, quæ *Dei sint* Deo, quæ *Cæsaris Cæsari*, quæque sibi, humili ac piâ devotione obedientèr præstanda: Et si quisquam est Regum orbis terrarum, qui sapientèr hoc intelligit, is est *Religiosissimus ac prudentissimus Rex noster* IACOBVS, *Monarcha totius Britanniæ*. *Septimus est* (inquis) Marcelli *Papæ*, 11. q. 1. *can.* 3. *Clericum cujuslibet ordinis, absque Pontificis sui permissu, nullus præsumat ad sæcularem Iudicem trahere. Nec laico liceat, quenquam Clericum accusare, Nimirum Clerici pertinent ad tribunal ecclesiasticū, nō ad politicum, seu civile. Vnde rectè* Valentinianus, Theodosius, & Arcadius *Imperatores. Continuâ lege sancimus, ut nullus Episcoporum, vel eorum qui Ecclesiæ serviunt, ad iudicia iudicum protrahatur. Habent enim illi suos iudices.* Locus hic à te adducitur pro exemptione Clericorum, quos nec professio Christiana, nec Apostolicus principatus eximebat à temporali

porali potestate, etsi *Bellarminus* vester aliter sentiat, in uno, non in altero: Alioqui, parùm conducit præsenti instituto; at à quorum demùm tribunalibus subtrahuntur? Christianorum Principum, iniquissimum postulatum: quorumvè judicio reservabuntur? Episcoporum suorum ferendum quidem hoc. Immò Pontificis vestri, Romanæq; curiæ, iniquitate omni, iniquius tale decretum, ne auditum quidē in orbe Christiano, pro nongentorum annorum spatio, ultraq;. Primùm dicis. *Nemo trahere præsumat ad sæcularem Principem.* Vtinam vim verbi apud te perpenderes: Quicunque Iudices constituuntur hujus mundi, ac hoc in sæculo sint sæculares Iudices, necesse est. Quum verò religionem Christianam, ac fidem Catholicam semel fuerint amplexi, consentaneū est rationi, ut appellentur Christiani Iudices. Illud autem ab omni ratione alienum est, ut, *Nemo laicus quenquam Clericum accuset: nimirum pertinent ad Ecclesiasticum,*

Bel. cont. Barcl. ca. 3. p. 41.

siasticum, & non civile tribunal. Vnde autem tanta accessio, cumulusq; causarum ad ecclesiasticū tribunal, nisi à liberali cōcessione, ac benignitate Principum. Quis hoc edixit, sanxitvè? *Valentinianus, Theodosius,* & *Arcadius* Imperatores, neminem foras protrahi. *Habent enim illi suos Iudices,* sed eosdem datos ex clementia Principum, quare solidius, si placet argumentum in mediū adfer pro privilegio Clericorum. Dominus ipse, Servator noster, haudquaquam se à potestate *Cæsaris,* Cęsareique præsidis substraxerat. *Gregorius* ille vester, cujus authoritatem tanti facitis, & uteris pro primatu ecclesiastico, *Mauritium* Imperatorem alloquutus in persona Christi, *Sacerdotes meos tuæ manui commisi, &c.*

Octavus est *Gregorij* ad *Mauritium* Imperatorē, 11. q. 1. can. 40. *In divinis Eloquijs sacerdotes aliquando Dei, aliquando Angeli vocantur.* Et paulò pòst: *Quid igitur mirū, si illos vestra pietas dignatur honorare, quibus in suo eloquio honorem tribuens eos aut Angelos, aut Deos, ipse etiam*

appellat

appellat De°, Vide quæ supra dicta sunt, &c. Octavum testẽ citas *Gregorij* Magni testimonium ad *Mauritium* Imperatorẽ, facit ille locus pro honore, nõ pro primatu sacerdotum: semper enim primas honoris, authoritatis, jurisdictionis partes, ille *Gre.* omnium pontificum qui antecesserunt, eruditione, ac pietate maximus; qui subsequuti sunt, optim°, spiritu humilitatis pleniss im°, attribuit Dominis suis imperatorib°, quare & *Mauritiũ* Imperatorẽ *Dominum suum*, Constantiã *Dominam suam*, semper recognoscit, seipsum servũ, nec solùm in temporalib°, sed subjectũ in spiritualibus, id est, causis, materijsq; emergentibus, subditũ imperialib° edictis, pro ordinanda re ecclesiasticâ. Nullũ locupletiorẽ testẽ, pro nobis *Greg.* Magno potes producere, nisi etiam *Agathonẽ* Papam, annis 680. à Christo incarnato velis in controversiã devocare. Quando n. *Constantinus* doctos ac prudentes viros, ab occidente accersiverat, collatione habẽda cum Grẽcis de reb° ecclesiasticis, in sexto generali Concilio *Agatho* totum se submisit Imperatori, &c. servũ ac subditũ agnoscendo.

Nonus

Nonus est Innocentij 3. *in decretalibus de majoritate & obedientiâ*, Can. 6. *Non negamus, quin præcellat Imperator in temporalibus, illos duntaxat qui ab illo accipiunt temporalia: sed* Pontifex *in spiritualibus excellit, quæ tantò sunt temporalibus digniora, quantò anima præfertur corpori.* Et infrà: *Nosse debueras, quod fecit Deus duo luminaria magna in* Firmamento *cœli: luminare majus, ut præesset diei, & luminare minus, ut præesset nocti. Vtrumquè magnum: sed alterum majus. Ad Firmamentum igitur cœli, hoc est universalis Ecclesiæ fecit* Deus *duo magna luminaria, id est, duas instituit dignitates, quæ sunt, Pontificalis authoritas, & Regalis potestas. Sed illa, &c. Innocentio* tertio supra responsum est: Sed video te Tautologiâ tuâ, & inani repetitione, valdè esse delectatum, ad quam retundendā iterum respondeo. Vbi proportio, vel symmetria nulla est ibi, nec comparatio instituí debet, inter animam & corpus, inter duo luminaria magna. Tota Pontificia potestas, æqui-

voca

voca adulterina, ficta, vel falsa est, & nullam germanitatem cum antiqua illa Romanorum Episcoporum authoritate habet· Christus Sol justitiæ est, non Papa, vestra Pontificia sub Lunæ concavo multis gradibus minor est Cæsareâ potestate: nec quilibet Pontifex, quolibet Principe major septingẽtesies quadragesiesquater, quod ex calculo arithmetico venit: nec quadragesies septingẽtesies major, quod ex calculo vestro cõtravenit, & incredibilẽ jactantiam sapit. Miror te sub Cæsarea ditione degentem, ausum talia supputare. Ita non modo nequam es, & improbus, sed etiam fatuus. Sed alteram absurditatẽ altera cumulas, in exaggeranda potestate pontificia, vel spirituali, quod Pontifex vester, vel potiùs *Bellarminus* in Dialogo contra *Barclaium*, cap. 31. nuper exaravit Ecclesia, (inquiens) *Per caput suum*, immò caudam per Christi *Vicarium*, immò præcursorem Antichristi, vel cursorem ipsum Antichristum, per consilia, id est, consiliabula membra sua, immò potiùs conciliabula

bula & scorti Babylonis mẽbra, per Doctores Theologos canonistas, id est, per linguas suas, vel potiùs maledicta glossemata sua nõ obscurè docuit, *Potestati spirituali subiectam esse potestatem tẽporalem ut corpus animæ, ideoq; temporalem regiam potestatem, à potestate spirituali, quæ plenissimè in Papa reperitur, dirigi, ac corrigi, iudicari ac mutari posse, cùm deviat.* Verum hoc totum de Ecclesia Antichristiana, verum igitur, hoc totũ de Ecclesia Rom. *Ex jure civili* (dicis) *occurrit illud* Iustiniani *Imperatoris*, in authent. constit. 123. *Si ecclesiasticũ negotium sit, nullam communionem habento civiles Magistratus, cum ea disceptatione, sed religiosissimi Episcopi, secundum sacros Canones finem imponunto. Præclara constitutio. Decernit* Imperator, *politicos, & sæculares Principes, non debere adesse, multò minùs præsidere in negotiis, & disceptationibus ecclesiasticis. Sufficiant hij pauci Canones* (inquis) numero exigui, põdere planè nulli, tuoq; proposito minimè idonei. Quid vis?

Claudite jam rivos pueri sat prata biberunt.

Habes

Habes tamen unum & solitarium locum ex jure civili.

Pauperis est numerare pecus ——

Contrà hunc unum locum, plures authoritates potero tam opponere, quàm apponere: Imperatorum sanctiones: *Constantini* Magni, quod clarum est ex *Nicephoro*, qui judicia, & jurisdictionem in clericos, Episcopis demandaverat: *Iustiniani* qui excluserat omnes sæculares Iudices à cognitione causarum ecclesiasticarũ, nisi essent crimina civilia: *Omnibus quæ iam à nobis sancita sunt, sivè super sanctissimis Ecclesijs, sivè super Deo amabilibus Episcopis, sivè super clericis, sivè super monachis propriam virtutem habentibus, &c.* Quare clericos à temporalibus tribunalibus eximit, sed tamẽ eos universìm astringit, eorundemq; judices legib° suis ecclesiasticis, tam in synodis, quàm in consistorijs; ut latè patet ex constitutione regia. Adde hijs (si placet) cõstitutiones eius generis innumeras repertitas ex *Iustin.* cod. & leges Franciæ, quas *Ansegistus* diligentèr collegit, centũ sexaginta tres reperies.

Nicephor. l. 7. cap. 46.

Novel. const. 83.

Constit. 123.

Carol. præfat. in leges Francia.

Christiani Principes & Imperatores, concessere authoritatem suum, & robur, Episcopis, aliisque politium Ecclesiasticarum determinatione, seipsos non excluſere.

Summa autem rei est, Clericos exemptos fuisse, à temporalibus Legibus, & judicibus, neutiquam à proprijs ipsorum Regum sanctionibus, & jussionibus, quibus semper visi sunt subjacere : Proindè excluſerunt alios, non seipsos, à cognitione, & determinatione rerum ecclesiasticarum; & summam, & supremam audientiam, & authoritatem, penes se retinere voluerunt: alioqui, tot, & tantas constitutiones, institutiones Canonicas minimè emanare, passi fuissent: atque hæc erat Praxis Ecclesiæ puriorum temporum.

CAPVT V

Ignatii authoritas, non minuit, sed distinguit
Regiam & Episcopalem
potestatem,

An Rex consensu doctorum *hominum, habeat primatum Ecclesiæ.*

CAP. V.

EXCEPTO *Satellano, & quibusdam alijs adulatoribus* (ais) *reclamant omnes cordati, & docti viri: Episcopi, Pontifices, Reges, Imperatores, alij. Seligam paucos, ne molestus sim, & incipiam à primitiva Ecclesia.* S. Ignatius Ioan. *Evangelistæ discipulus, in Epist. ad Philadelphiens. sic habet: Principes subditi estote* Cæsari, *milites Principibus, Diaconi Præsbyteris: Præsbyteri verò, & Diaconi, atque omnis Clerus, simul cum omni populo, & militibus, atq; Principibus, sed & Cæsares obediant Episcopo; Episcopus verò, Christo, sicut Patri Christus, & ita unitas*

per omnia servetur. Nunquid omnes cordati viri reclamant ? quid si non *omnes*? quid si non isti cordati viri ? Tutissimus est Sacellanus (quem tu ita vocas) ab illâ calumniæ tuæ nota, non enim adulatur, sed suffragatur veritati: Illustrium virorum sententias facilè admittimus, quinque Patres, quatuor Imperatores profers ex multis τῶν ἐνστάσεις εἰσί λύσεις, inquit Philosophus. *Ignatium* in medium adducis, qui etiam Sancti *Ioannis* erat discipulus, si is verus, & nõ falsus, vel suppositicius sit, debemus agnoscere: ostendit ille quibus, & à quibus obedientia præstanda sit. Quid ni? & *Cæsares*, adeoque ommes Reges & Principes obedire habent Episcopis suis, veram fidem prædicantibus, sacramenta Ecclesiæ porrigentibus, aliaque Religionis mysteria proponentibus, & celebrantibus, suntq; tanquam *sacri ovilis sacræ oves*, quod fatetur *Nazianzenus*.

Hosius Cordubensis Episcopus, qui interfuit 1. Conc. Nicæn. *Constantium* Imp. sic affatus est: *Desine (quæso) Imperator, ne te misceas ecclesiasticis, neq; nobis in hoc genere præcipe, sed potiùs ea à nobis disce: tibi*

tibi Deus imperium cõmisit, nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit. Et quemadmodum, qui tuum Imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ, ita & tu cave, ne quæ sunt Ecclesiæ ad te trahens magno crimini obnoxius fias. Refert hæc verba Athanasius *in Epist. ad solitariam vitam agentes.* Vero nihil verius. Refert quidẽ hęc verba *Athanasius*, quæ omnia ut veritati consentanea conceduntur, & tamen jure merito *Constantius* reprehenditur tanquã subversor fidei, Canonũ violator, religionis ac pietatis Ecclesiæq; hostis accerrimus, quiq; omnia susq; deq; habebat, *palatium suum tribunal, seipsum arbitrum ac judicẽ controversiarũ*, omniũq; causarũ ecclesiasticarũ faciebat. Quã certè licẽtiam, & infinitã dominationẽ, nulli Principi, nulli Imperatori, vel concredimꝰ, vel concedimus. Adde amplius, si placet, quod est in eod. *Athan. Quis videns eum in decernendo Principem se facere Episcoporũ, & præsidere judicijs ecclesiasticis, non merito dicat eum, Abominationem desolationis, &c.* Eidem astipulatur, & Sanct. *Hilarius*,

qui utriusque jurisdictionis, & functionis limites servari oportere itidem volebat, contraq; *Constantium*, fortè defunctum scripserat, inquiens, *Substraviſti voluntati, ſed & violentiæ tuæ omnia: Synodos contrahis, conculſos minis terres, fame debilitas, hyeme conficis, diſſimulatione depravas.* Verè igitur ac severè, sed salutaritèr consulebat ipsi *Constantio*: ne te misceas ecclesiasticis, quæ sacerdotum potiùs, quàm principum officio incumbunt. Vel ne te misceas, sed potiùs discas, quid factu opus sit in causa subscriptionis, contra innocentem *Athanasium*, & in justâ condemnatione Hæreticorum Arrianorum.

Sanctus *Ambrosius*, Epist. 33. ad *Marcellinam*, sororem suam scribit, se *Valentiniano* Imperatori dixisse. *Noli te gravare Imperator, ut putes te in ea, quæ divina ſunt imperiale aliquod jus habere. Noli te extollere, ſi vis diutius imperare. Esto Deo ſubditus. Scriptum eſt enim*, quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari. *Ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem* Ecclesiæ. *Publicorum tibi mœnium jus commiſsum eſt,*

non

Ambrosius negat *Valentiniano* audientiam, & decisionem in causa Fidei, obedientiam non negat.

---

non sacrorum. Benè monet S. *Ambrosius Valentinianum* juniorẽ, ne putet se in ea quæ divina sunt, vel quæ ad Deum pertinent, *imperiale aliquod jus habere.* Hoc etenim non constituitur supra res divinas, quanquam ad res divinas constituendas, & ordinandas, quadam ratione pertinet: Imperiale namque jus est jubendi, prohibendi, mutandi, abrogandi ea, quæ animo collibitum est suo. Tale jus, Angelorum nullus in cœlis, nedum mortalium quisquam in terris habet. Observato igitur, illam S. *Hilarij* regulã, & S. *Ambrosij* mentem facilius assequeris. *Intelligentia dictorum, ex præcedentibus, & consequentibus expectetur.* Narrat *Ambrosius*, quo modo se gesserat adversus *Valentinianum*, & *Auxentium Arrianum*: quorũ alter judicare, alter judicari volebat, ab *adolescente catechumeno sacræ lectionis ignaro*, idque *in consistorio.* Cùm autem *Ambrosius* Imperatoris postulato de Basilica *Arrianis* tradenda fortirèr, sed piè obstitisset: *Nec mihi fas tradere, nec tibi arripere Imperator ex-*

pedit: *Domum privati nullo potes jure temerare*: *domum* Dei *existimas auferendã? Allegatur Imperatori licere omnia, ipsius esse universa.* Respondeo (inquit sapientissimus Antistes:) *Noli te gravare, &c.* Negat igitur Imperatori in causa fidei audientiam, vel decisionẽ, obedientiam omninò suam Regi, utpote præcellenti, non negat.

Hosio,& Ambrosio *in ea re similis est* Athanasius, *qui in Epistol. citatâ graviter reprehendit* Constantium *Imperatorem, quod Ecclesiasticam jurisdictionem sibi usurparet; ideoq; eum vocat Antichristum, Apostatam, fidei desertorem, canem, carnificem, filium perditionis, pestem, bellua. Addit denique inauditum esse quod Reges, & Imperatores misceant se causis ad Ecclesiam pertinentibus, & inter alia, sic habet: Quando à condito ævo auditum est, quod judicium Ecclesiæ, authoritatem suam ab Imperatore accepit? aut quando unquam hoc pro iudicio agnitũ est. Plurimi anteà Synodi fuere: multa iudicia Ecclesiæ habita sunt:*

sed

sed neque Patres istiusmodi res Principi persuadere conati sunt, nec Princeps se in rebus Ecclesiasticis curiosum præbuit. Ab *Ambrosio* ad S. *Athanasium* regrederis ætate priorem, ordine tuo posteriorem *Athanasius* quidem magnæ apud *Constantinum* suum authoritatis, nec minoris apud *Constantium* nostrum. *Serenissimus, Rex noster* omnes quidem patres seniores, ac saniores, & crebris usurpat sermonibus, & pio affectu recolit, & honorificâ memoria, & recordatione prosequitur. Rectissimè auguraris: non est dissimilis *Athanasius*, vel *Hosio* natu maiori, vel *Ambrosio* natu minori. Inuehitur contra *Constantium*, quod furore quodam percitus, potestate alioqui legitimâ abusus, *populum & clerum, Episcopos, presbyteros, monachos, virgines, mulieres, vel lapidibus obruebat, vel catenis uinciebat, vel virgis cædebat, vel ignibus torrebat, cuius crudelitatem & Arrianorum & conspicati & detestati*, homines ethnici, non modo eos pro non Christianis, sed pro Antichristianis habuerunt.

Cum-

Priscillianorum causa, non erat sublata, vel subtracta iudicio Maximi Imperatoris, sed dilata propter preces Martini Turonensis.

Qualis erat Leontii parrhesia.

Cũq; *Paulinus Lucifer*, alijque orthodoxe ad tribunal Imperatoris euocati, ac iussi ut contra *Athanasium* subscriberent ac communionem colerent cum *Arrianis*, obnixè restitissent, impediri se Religione canonum, quo minus id facerent, *Constantius* tandem eo vsque prorupit, *Quod ego volo pro canone sit; ita me* loquentem Syriæ *Episcopi sustinent: aut igitur obtemperate aut vos quoq; exules estote*: In Constantio crebra fidei mutatio, Episcoporum relegatio, ac damnatio, sine cognitione Ecclesiastica, & Synodali processu; non legitima jurisdictio sed jurisdictionis usurpatio reprehenditur. Iudicium vero Imperatoris non debuerat præire, sed subsequi Ecclesiæ iudicium in ijs casibus.

Conspirant alij patres. S. Martinus *Turonensis Episcopus*, Maximo *Imperatori in faciem dixit, Nouum esse, & inauditum nefas, quod causam Ecclesiæ, Iudex sæcularis iudicaret, ut est apud Sulpitium* Lib. 2. *sacræ historiæ, in fine*. Res ita se habet, *Namq;* Marti-

Priſcillianorum cauſa non erat ſublata, vel ſubtracta iudicio Maximi Imperatoris ſed dilata, propter preces Martini Turonenſis.

Qualis erat Leontii parrheſia.

Martinus *apud Treuiros conſtitutus, non deſinebat increpare* Ithiacũ, *hominem audacem, loquacem, impudentem, ſumptuoſum, ventri ac gulæ impertientem, ſociumq́ eius* Idacium, *vt ab accuſatione deſiſteret, qua* Martino *Epiſcopo palam hæreſis* Priſcilliana *infamiam obiectabat*, Maximum *orare, vt ſanguine infælicium abſtineret, ſatis ſuperque ſufficere, vt Epiſcopali ſententia hæretici iudicati Eccleſijs pellerentur*. *Dilata* igitur paulum cognitio eſt, non ſublata; nam poſtmodo, *permiſſa eſt præfecto* Emodio, uiro acri & ſeuero, *qui* Priſcillianum *gemino iudicio auditum, conuictum maleficij, nec diffitentem obſcænis ſe ſtuduiſſe doctrinis, nocturnos etiam turpium fæminarum egiſſe conuentus, nudumque orare ſolitum nocentem pronunciauit, redegitque in cuſtodiam, donec ad* Maximum *Principem referret*. Erant autem in Priſcilliano, pluſquam hæretico, complicata crimina ciuilia, & Eccleſiaſtica, *capitiſque damnatus eſt* cum ſocijs, non ereptus ob

Martin

Priscillianorum causa non erat sublata, vel subtracta, iudicio Maximi Imperatoris, sed dilata, propter preces Martini Turonensis.

Qualis erat Leontii parrhesia.

Martini preces Imperatoris judicio. Pergis *Leontius Episcopus Tripolitanus*, *teste Suida ad* Constantium *Imperatorem: Miror quomodo ad alia vocatus, alijs rebus te immisceas. Militaribus enim & Politicis rebus præfectus, in his quæ ad solos Episcopospertinent præesse uis.* Leontius, testante *Suida* non antiquo sed 1200. annos post Christum incarnatum nato, attestante parrhesia usus est, & libertate loquendi vera contra Imperatorem *Constantium* in causa orthodoxorum contra *Arrianos* & *Eusebianos* quod στρατιοτικῶν ἢ πολιτικῶν πραγμάτων προεστηκώς, ἐπισκόποις περὶ τῶν εἰς μόνους Επισκόπους ἥκοντων διατάττομένος. Videbat uir acutus Constantium ἀλλοτριοεπίσκοπον, & φιλοπρωτεύοντα id est *primatum amantem*, & desiderantem præire, ac præesse in ijs quibus non opportuit, tanquam alterum διοτρέφην, fidei eorum dominantem, exosus igitur hominem, vel potius pertæsus, & perosus mores assentantium Episcoporum talibus verbis affatus est.

Cyrillus

Cyrilli authoritas nihil iuuat Becanum. Valentiniani senioris timiditas nihil causam lædit primatus Regii.

Cyrillus Hierosolymitanu catacheſi. 17. *Ad Hodiernum uſque diem cernimus mundanos Reges inſtrui & regi ab Eccleſiaſticis.* *Cyrilli* authoritatem tanquam inſulam in Archipelago ſitam,& in uniuſcuiuſq; ac communi poteſtate omnium poſitam,in medium adducis pro inſtructione non pro regimine ac moderamine principum : non negat Epiſcopos regi à principibus, ſed affirmat *Principes mundanos* verius Chriſtianos & doceri ac dirigi à ſuis Epiſcopis. Omittis reliquos quos habes plane nullos, ex quibus tamẽ haud ullum argumentum ſolidum potuiſti elicere.

Valentinianus *ſenior Imp. cum importunè rogaretur ut permitteret haberi concilium, in quo de quibuſdam rebus fidei decerneretur: reſpondit. Mihi qui vnus è numero laicorum ſum, non licet eiuſmodi negotijs me interponere. Sacerdotes &* Epiſcopi *quibus hæc curæ ſunt ubicunque ipſis liberum fuerit conueniant. Refert* Sozomenus *li.6. hiſt. cap.* 7. Nicephorus *lib.* 11. *capite* 30.

Ruffi-

Cyrilli authoritas nihil iuuat Becanum. Valentiniani senioris timiditas nihil causam lædit primatus Regii.

Ruffinus lib. 1. *cap.* 2. *Baronius tom.* 4. *Annal. ann.* 364. Pergis ad quatour Imperatores, quorum primus citatur testis, *Valentinianus* senior, qui dixit referente *Ambrosio*, & idem in consilijs dante *Valentiniano* Iuniori : *non est meum iudicare inter Episcopos, & alibi Mihi qui unus è numero laicorum sum, non licet eiusmodi negotijs interponerè* : Bene licebit, *Sacerdotibus & Episcopis, quibus hæc curæ sunt vbicunq; ipsis liberum fuit conuenire.* Duo dicit. *Mihi non licet*; *non est meum.* Licebit alijs &c. extra controuersiam alterum laude dignum, Quod ipse Nicenæ fidei esset, in summa commendatione ponitur, quodque alios summo honore affecerat, qui eiusdem communionis essent infinita laude, anteponitur : Quod alijs uarias fidei formulas permitteret, neque illas discuteret, alterum hoc dignum sanè vituperio ; Tertium vero quod Episcopis totam rem reliquisset dijudicandam, non solertiam, sed timiditatem, & inertiã hominis denotat. Vnum certissimum est

quod

Imperatores, cr mitibus ſuis temporalia, Epiſcopis Epiſcopis Eccleſiaſtica negotia committebant tractanda.

---

quod ſe *inhabilem ponderi tanti putabat iudicij*: alterum incertum abdicaueritne ſeipſum in perpetuum ſua regia prærogatiua, ac authoritate.

Eodem ſenſu & affectu Theodoſius *Iunior in Epiſtola ad Synodum Epheſinam.* Candidianum *Comitem ad hanc ſacram veſtram Synodum abire iuſſimus: ſed ea lege, & conditione, vt cum quæſtionibus, & controuerſijs, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quicquam commune habeat. Nefas enim eſt qui ſanctiſſimorum Epiſcoporum Catalogo adſcriptus non eſt, eum Eccleſiaſticis negotijs, & conſultationibus ſe immiſcere.* Locus hic ex *Gratiano* depromitur diſtinctione. 96. cap. 7. ex Epiſtola *Theodoſij* & *Valentiniani* ad Synodum Epheſinam primam. Ergo nec tractare habent temporales materias, vel negotia Eccleſiaſtica, comites vel legati Imperatorum & Regum; nedum fidei dogmata diſcutere, & definire qualia jure, vel potius more tyrannico, Epiſcopis imponere volebat *Conſtantius*. Secus autem factitabat

tabat *Theodoſius*, alijque boni Imperatores, qui Epiſcoporum curæ id commiſerant, nec fas eſſe ducebant, laicos Epiſcoporum catalogo non adſcriptos, ad Synodum Eccleſiaſticam ſeſe aggregare. Neceſſe eſt ut uniuerſus hic locus de non *adſcriptis Catalogo*, vel numero Epiſcoporum *viz.* laicis, intelligatur, non de nondum promotis ad eum ordinem cum ex vetere conſuetudine Eccleſiæ, & presbyteri concilijs intereſſent.

Baſilius *Imperator in oratione quam habuit in octaua Synodo generali quæ tempore* Adriani Papæ *Conſtantinopoli celebrata eſt, in cauſa* Photij *Patriarchæ*; *De vobis autem laïcis tam qui dignitatibus, quam qui abſolutè verſamini quid amplius dicam non habeo quam quod nullo modo vobis licet de Eccleſiaſticis cauſis ſermonem mouere, neque penitus reſiſtere integritati Eccleſiæ, & uniuerſali Synodo aduerſari. Hæc enim inueſtigare, & quærere, Patriarcharum Pontif. & Sacerdotum eſt, qui regiminis officium ſortiti ſunt, qui ſancti-*

sanctificandi, ligandi, & soluendi potestatem habent qui Ecclesiasticas adepti sunt claues; non nostrum qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel a ligamentis solui egemus. Nihil clarius dici potuit. Nihil clarius (inquis) nimirum intellexit Imperator. *Non Reges, sed Episcopos Ecclesiæ regimen esse sortitos*, præsertim in illa controuersia quæ exorta est inter *Photium*, & *Ignatium*, quorum alter in alterius locum subrogatus est per *Bardam* quem *Ignatius* excõmunicauerat. Damnatus tamen postea *Photius* ab octaua generali Synodo, ac patriarchali dignitate spoliatus Quid autem *Basilius*? Orationem habuit in Synodo: Cui fini, & bono? Quod nullus Laicorum aduersaretur synodo, & Ecclesiæ integritati, vel iudicio de rebus Ecclesiasticis, ne mutire audeat eorum quispiam. Præclara constitutio dummodo de eorum manibus non extorqueantur biblia. *Patriarcharum* (cur non addit & Paparũ) *Pontificum*, & *Sacerdotum est hæc inuestigare, & quærere,*

qui regiminis officium sortiti sunt claues adepti sunt: non nostrum. Aliud officium pascendi, aliud regendi. Episcopis obtingit Regimen animarum, Regibus officium procurandi bona Ecclesiæ quod non disiungitur à regimine. Esto præiudicet sibi *Basilius*, alijsque, haud quidem veritati præiudicat: inquisitio, vel inuestigatio est omnium vel plurium, illa quidem spirituum discretio vel διακρισις, & decisio paucorum est. Sed quæro abs te *B cane*, num *Basilius* de suo iure cedit cum istam licentiam Episcopis alijsque concedat, & largiatur tractandi theses Ecclesiasticas, vel canones condendi, neget eandem facultatem cæteris sui, id est, sublimioris & humilioris ordinis? ne sic quidem primatum Regis destruis *Becane* ex unius hominis mente, vel documento: ex talibus insultibus summa potestas regia, & jure diuino, & humano stabilita, nihil quicquam nocumenti accipit.

Simi-

Constantinus non est ausus primo de Episcopi causa iudicare, vel ignarus canonum, vel quia delegare volebat.

Simile exemplum habemus in Constantino Magno, *qui cum Donatistæ non consenti Episcopali iudicio, ad ipsum causam Ecclesiæ detulissent, ita exclamasse fertur. O rabida furoris audacia! Sicut in causis gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt. Ita referi* Optatus Mileuitanus lib. 1. *contra Parmenianum. De eodem Imperatore scribit* August. *ep.* 165. Constantinus *non est ausus de causa Episcopi iudicare: An Rex Angliæ maior* Constantino? *Sacellanus ita vult.* Simile (inquis) exemplum in *Constantino*, dissimile certè in utroque acroamate à te prolato fertur exclamasse contra appellationem interpositam, & non est ausus de Episcopi causa judicare, & certe primum non est ausus de eadem judicare: idem tibi, quod anteâ respondimus, sine ulla tergiuersatione, iterum reponemus. A *Constantino* exorsa est ratiocinatio, in eodem pro hoc Tempore terminabitur: primum non est ausus judicare in persona pro-

pria forsan ignarus canonum &, decretorum Ecclesiæ quæ tum controuertebantur, vtpote in talibus iudicijs minimè antea versatus. Ad primatum suum declarandum, satis erat causam delegare, *quod factum est in vrbe Roma, præsidente* Miltiade, *tam multis collegis satis, qui* Cæcilianum *innocentẽ pronunciauerunt*, Donatum *sententia percusserunt. Iterumque ex obmurmuratione Donatistarum*, atq; quærela, clementissimus Imperator *alios Episcopos iudices dabat apud Arelatum Galliæ ciuitatem, à quibus ad ipsum* Imperatorem *appellatum est, donec ipse etiam causam cognosceret, qui* Cæcilianũ *innocentem, ipsos calumnioſos pronuntiauit.* Non immerito, cum Don: causam toties discussam et diiudicatam ad *Constant.* detulissent, auditus est exclamasse, *O rabida furoris audacia! &c.* Quæris autem à teipso pro solito more ac dialogismo, *An Rex Angliæ maior* Constantino? & subijcis. *Sacellanus ita vult.* Quicquid ille vult non dicam valde vult, sed valde prudẽter vult. *Ventosum genus hominum (inquit* T. Liui[a]) *Regibus*

Regibus aſſentari ſolitum. Sed vera laude prædicare acumen, ingenium, memoriã, literaturam, juſticiam, pietatem, & ſpiritũ heroicum, Chriſtiano pectore dignum ſereniſſimi principis *Iacobi* clariſſimi regis Britanniæ, non tam hoc Elienſis Epiſcopi proprium ſit, quã commune multis mortalibus exterarum nationum, & ciuibus noſtris, ne unius Elienſis ſit proprium.

An Rex, titulo præſcriptionis habeat primatum Eccleſiæ.

CAP. VI.

HOC plane *videtur ipſe velle. Nam in monitoria præfatione diſerte ait, aliquos ex ſuis anteceſſoribus vſurpaſſe primatum Eccleſiæ in Anglia, neque paſſos eſſe vt pontifex vllam iuriſdictionem ibi exercereț, ſed ipſos eam ſibi vendicaſſe. Itaque nihil noui ſe facere eundem primatum vſurpando*. Martinus

Becanus aliquādiu enthymematum, syllogismorum, dilemmatumque suorum pertæsus, accedit iam ad deprauanda, mutilanda, & vilipendenda clarissimi regis verba. *Serenissima Maiestas*, tanquam aureum flumen verborum fundens, sic præfatur. *Nunc verò ut cætera externorum Regum facta prætream, satis erit decessorum meorum aliquot, qui in Anglia regnarunt, exempla memorare: ut omnibus inde constet, etiam illis sæculis, quibus crassior, cæciorq; veritatis ignoratio orbi incubuit, Angliæ Reges sæpe pontificium ambitum, gliscentemq; tyrannidem, non modo non tulisse, sed & illi fortiter restitisse*, & paulo ante, *instituere se profatur catalogum decessorum suorum Regum Angliæ, qui in eo ipso tempore, quo res pontificiæ florentissime fuerunt, pontificibus in eorum Temporalem potestatem grassantibus, sed etiam in ijs quæ ad Ecclesiam pertinere videbantur, animose restiterunt. Atque in hoc ordine primeps mihi erit Rex* Henricus *id nomnis post conquestum primus, qui concessit Episcopatum Wintoniensem* Willielmo Gifford,

Math. Pariss. in hist. I. an 1100. 1113.

Gifford, & *continuò de possessionibus ad Episcopatum pertinentibus, contra nouæ concilij statuta, inuestiuit. Idem* Henricus *dedit Archiepiscopatum Cantuariensem* Radulpho Londinensi *Episcopo, & illum per Annulum & Baculum inuestiuit.* Recensentur & facta *Edwardi* primi in pluribus casibus, & *Edwardi. 2. patris vestigijs insistentis: Nec vero* Edwardus *tertius ab his aui, patrisque exemplis, abiuit. Ex quibus liquet ne florentissimis quidem pontificijs rebus, maiores meos vllius ex subditis contumaciam inultam tulisse, qui mandato Pontificio, Regium imperium posthaberet, etiam in eis rebus quæ ad Ecclesiam pertinere uidebantur: tantum aberit vt se, vel Pontificiæ potestati, in Temporalibus mancipatos, uel clericos à sua iurisdictione emancipatos iudicarent. Et hæc quidem tot Regum exempla obsignabo, publicorum ordinum sub* Richardo 2. *decreto, quo cauetur, nequis beneficium à Pontifice Romano impetraret: qui secus faxit,*

extra Regis fidem &, tutelam censeretur; Ita quod quatuor illi Reges continua serie factitarunt, id lege publica confirmatum videmus. Adhæc diluenda *Becanus* solitam adhibet spongiam, *Sed valdè friuolum hoc est* (inquit) *& si sic liceret argumentari, facile erit omnes pene abusus excusare*, vt idololatriam Achaz: *Aliqui ex meis antecessoribus coluerunt falsos Deos: Iure igitur facio. Et tamen sic agit Rex Angliæ. Ostendit paucos ex multis qui obedientiam Romano Pontifici recusârunt, & eorum exemplo suam inobedientiam excusare vult, sed frustra cum ius diuinum liquidum sit, & clarum, etiamsi infinita in contrarium proferantur exempla (quod supra ostensum est) & hoc nulla præscriptione, nulla consuetudine aboleri potest.* Quanquam iniquissima comparatione veteris, habe tamen responsionem nostram.

De similibus idem, de dissimilibus diuersum est judicium: Quid tam dissimilia inter se, quam idololatricus cultus,

& primatus regij ius, quo qui rectè & legitimè uſi ſunt in veteri Teſtamento, & iam Chriſti Evangelio coruſcãte, magnâ laude celebrantur, quiq; idem Romanis Pontificibus, vel coacti, vel libentes detulerunt, partim ludibrio, partim opprobrio ſeſe exponentes, tanquã Principes ignavi ac ignari iuris ſui, crebris hominum cordatorum ſermonib⁹, & ſcriptis, maximè vituperantur. Illud ineptiſſimè ex bucca tuâ effluens, Sereniſſimum Regem noſtrũ *ſuam excuſare inobedientiam, &c.* cùm ille nihil habet commercii cum Babylonio veſtro Monarcha, neq; neceſſe habeat inobedientiam aliquo integumento obtendere, iam olim excuſſo illo cõmunionis & obedientiæ indebitæ iugo per maiores ſuos Reges Angliæ, legibus publicis ad id exterminandum toties promulgatis. Optimè pro ſe reſpondit *clariſsimus, & moderatiſsimus REX*: apparet *me omni calumnia liberatum: neque ambitione, aut novandarũ rerum ſtudio, quicquã eſſe molitũ,*

quo

quo aliquid Pontifici debitum subtraherem: vel mihi aliud arrogarem, quam quod Imperatores Christiani, & diversarum gentium Reges, præsertim qui ante me in Anglia regnârunt, multis retrò sæculis pro suo vindicârunt. Sed *infinita etiamsi in contrarium proferantur exempla*, nos tamen obniti contrâ non debere ais; *cùm jus divinum, liquidum, & clarum sit, primatum ad Episcopos, non ad principes pertinere jure divino, quod nullâ præscriptione aboleri potest.* Vtinam (*Becane*) quod è re tuâ esset) illud *ex jure divino* astrueres, sed semper αἰτεῖς τὸ ἐν ἀρχῇ, nec tantillum progrederis ad primatum Regis destruendum, tam lõgis itineribus à te susceptis huc usque in ultimam Britanniam. Vide autem nè hoc te maximè lædat, minimèque juvet, *nulla præscriptione, nullâ consuetudine tolli posse Ius divinum.* Ab utroque simul jure divino, & humano currente præscriptione, quem titulum Serenissimus Rex justissimum adversus Romanum Pontificem præten-

Sereniſsimus Rex melior poſſeſſor, ac præſcriptor tituli primatus Eccleſiæ, quam Pontifex.

prætenderit. Etenim pro octingentorum annorum ſpatio, ulteriuſque, patrioribus Eccleſiæ ætatibus, præſertim illiuſmodi cucurrit præſcriptio pro Chriſtianis Regibus, & indè uſque repetendo ad *Henrici* octavi tempora, *cum alijs Regibus fortaſsis occaſio, alijs vires ad reſiſtendum defuiſſent, ipſo civili iure* Regi, *ſatis eſt iniuſtam ſuorum iurium uſucapionem, quotieſcunque licuit fuiſſe interruptam:* Quia autẽ latiſſimus cãpus hic proponebatur, in quo tua excurrere poſsit oratio, totus hîc de præſcriptione locus à te prętermiſſus eſt, quem levi pede tranſilis; de præſcriptionis jure nihil moliris, tanquam opere levidenſo. Eſt autem præſcriptio, vel uſucapio acquiſitio dominij utilis, vel directi, per continuationem poſſeſſionis ac longi temporis lege definiti. Ad illam præſcriptionem complendam, quatuor requiruntur, continuatio poſſeſsionis, bona fides, juſtus titulus, & quod res non ſit vitioſa. Iam verò res cum re, cauſa cum

cauſa

cauſa, perſona cum perſona contendat: uter *poſſeſſor* eſt bonæ fidei, uter melior præſcriptor Rex an Pontifex, Princeps an Papa? titulus ne verus an præſumptus? Nulla antiqua dierum præſcriptio iuvat poſſeſſorem malæ fidei, id eſt, Papa, qui rem iniuſtè alienatam Principi reſtituere tenetur, & habere conſcientiam reſtituendi, multò minus concupiſcendi rem proximi, quia ſcriptum eſt: *Non concupiſces rem proximi tui*, præſertim cùm peſſimę fidei poſſeſſor exiſtat Pontifex veſter, & ex *cauſa lucrativa*, ſicut loquuntur iuriſconſulti, eundem primatus titulum teneatur deponere: optimæq; fidei poſſeſſor Rex, rem, & titulum authoritate iuris divini, & humani acquiſitum, ex cauſa utili & honeſtâ debeat retinere; & licet ex nulla cauſa contra Eccleſiam Catholicã præſcribere oporteat, adverſus veſtram tamen Romanam Eccleſiam iuſtiſſima cauſa exceptionis eſſet: cauſæ autem iuſtiſſimæ ſuberant quam plurimæ, Principibus ſui iuris aſſerendi. Videbant tertiam

po-

populi partem in manu Dominorum durorum, ut *Pharaonis* vestri Romani tanquam mancipia eorundem nexu facta, nundinationes beneficiorum, indulgentiarumq;, exemptiones Clericorum, direptiones bonorum, expilationes, ærarij Ecclesiæ, & mille mala indies serpere in peius perviderant: eorum omnium vel piguit vel puduit, vel pertæsum est Reges terræ, eò usq; evectum, fastus ac superbiæ furoris, ac insaniæ, perditionis filium, *ut sederet in templo Dei, efferetur q; supra omne quod dicitur Deus, aut numen, ac ostenderet se tanquam Deum.* Invidebant etiam nonnulli, non tam dignitati hominis, quã indignitati ac turpitudini fastuosi hominis atq; ejusmodi hominis, qui ex fraterculo, vel terræ filio, Florenis magni Ducis Hetruriæ, vel scutis Christianissimi Galliarũ Regis, vel aureis nummis Catholici Regis Hispaniæ adiutus, alijsvè Symoniacis artibus subnixus, ad Pontificatum, & Antichristi sedem adipiscendam aspiraret. Nunc doces quemadmodum Serenissimus Rex argumentaretur.

Multò

Priſci Reges Angliæ loquuti ſunt, & ſcripſerunt ad Romanum Pontificem, ſecundum conſuetudinem illorum temporum, in craſſiſſimis Eccleſiæ tenebris.

Multò plures ex meis anteceſſoribus venerati ſunt authoritatem Pontificis quam reſpuerunt: ergo & ego eam venerari volo, non reſpuere. Haud ſequitur argumentum à facto ad jus, ſed ab abuſu ad rectũ uſum. Teſtes ſunt, *Lucius Edwinus*, *Oſwaldus*, *Sigbertus*, *Penda*, *Ina*, qui teſtes citantur à te, teſtimonia eorum nulla recitantur; reliquos audiamus, *Edwardum* ad *Nicolaũ* ſecundum, *Henricum* ſecundum, & *Aleonoram* uxorem ejus, quorum primus ad Pontificem ſcribit, & ſic Epiſtolam exorditur. *Summo univerſalis Eccleſiæ patri* Nicolao, Edwardus *Dei gratia*, *Anglorum Rex*, *debitam ſubjectionem & obedientiam. Agnoſcit illum Patrem* (inſis) *& quidem ſummum Patrem*, *nec unius particularis Eccleſiæ*, *ſed univerſalis Patrem*, *& ſubjectionem & obedientiam promittit.* Reſpondeo, loquutum fuiſſe ſecundum conſuetudinem vocabulorum, in craſſiſſimis tenebris illorum temporum; deindè

multa

multa loquutum hominem ſpiritu humilitatis plenum, &c. addidiſſe pluſculum, quam decebat Majeſtatem tanti Regis, qui & vir melior, & pluribus Pontificibus ſanctior eſt habitus. Illud verò non modò ſuperfluum, ſed cæteris Epiſcopis iniurioſum, quod *ſummum Patrem* appellet, cùm nemo ſummus, ac ſupremus Pater in terris καθ' ὑπερβολὴν, in tam alto gradu dignitatis collocandus ſit, niſi idem qui *Pater noſter eſt in cælis*. Quid autem ſibi velit id nominis univerſalis, vel Catholicę Eccleſiæ Pater, haud aſſequutus ſum, cùm ſit planè exoticum, nec in Scripturis ſacris, nec in Patribus Latinis, Græciſvè orthodoxis repertum. Niſi igitur velit Pontifex eſſe præcurſor Antichriſti, neq; debet ſibi rapere ſponſam Chriſti, id eſt, univerſalē, vel Catholicam Eccleſiam (*qui enim habet ſponſam ſponſus eſt*) nec univerſalis Epiſcopi, paſtoriſvè nomen arripere. Illa planè ἀσύσατα, univerſalis, & Romana, id eſt, particularis Eccleſia, Romanus,

manus & ſummus ἀρχιποιμήν, vel Paſtor. *Secundus eſt* Henricus ſecundus, in Epiſt. ad Alexan. tertium, apud Petrum Bleſenſem Secretarium, 136. *Veſtræ* (inquit) *magnitudini promitto, me veſtræ diſpoſitioni in omnibus pariturum:* Item: *Deus extulit vos in eminentia officii paſtoralis, ad dandam ſcientiam ſalutis, plebi ſuæ.* Putares eum ſcribere ad *Alexandrum* Magnum, non ad ſervum ſervorum Dei, indignum planè Majeſtate regiâ, qui ita ſcriberet, dignum ſanè antichriſtiana ſuperbia Pontificis Romani, qui talem ſubjectionem *in omnibus* ſuſciperet: ſed inebriatus Rex aureo poculo fornicationum purpuratæ meretricis, vel metu adactus eam Epiſtolam exarabat. Et quare? quia *Deus extulerat* eũ *in eminentiã officij paſtoralis*? Non eſt ita, quia ſymoniacis fraudibus, & malis artibus (quod omnes nôrunt) ad id faſtigium pontificalis dignitatis elatus eſt: non ad *ſcientiam ſalutis dandam plebi ſuæ*, ſed ad ſurripiendã ſcientiæ clavẽ. Quotus n. quiſq; Paparum ſalutiferam Dei gratiã annũciat? *Regẽ Regina imitata eſt*, (inquis)

quæ

quæ in Epistolis tribus, *vocat* Cœlestinũ *Papam*, *Principem Sacerdotum*; *Vicarium crucifixi*, *successorem* Petri, *Christum Domini*, *Deum* Pharaonis; *orbis Episcopum*. Turpe genus assentationũ, sive mulieris infatuatæ, & simplicis, sive viri, sive Reginæ, sive Secretarij, bestiæ illi abblandientis. Quàm multa inania? Quæ sunt ista verborum portenta, & vanitatis cõmenta? & præpostera quidẽ hæc, & ordine contraria. Vocat eum *Principem*, vel caput, qui est cauda, *Vicariũ crucifixi*, qui Christũ in membris suis crucifigit: *successorem Petri*, qui cathedræ *Petri*, eiusq; doctrinę, non succedit, *Christum Domini*, qui Antichristũ ore draconis loquentem, & moribus germanissimis, referentem se palàm ostendit, *Deum Pharaonis*, vel potiùs diabolum, *Aaronis* stola vestitum, transfigurantẽ se in Angelũ lucis; *orbis Episcopum*, immò unius urbis ac ne unius quidẽ, cùm plures in schismate viverent, ac exularent aliquantisper *Antipapæ*, & inter alia sic addit: *Non Rex, non Imperator à iugo vestræ iurisdictionis eximitur*, opportunè admodũ illud *à iugo*, qui subjugavit Imperatorẽ

ſuæ juriſdictioni, vel tyrannidi ſubjungendum. Pergit porro hic aſſentator magnus. *Chriſti crux antecellit* Cæſaris *aquilis, gladius* Petri *gladio* Conſtantini, *& Apoſtolica ſedes præjudicat imperatoriæ poteſtati*: Chriſti vexillum, vel crux, antecellit *Cæſaris* aquilis. nunquid in ſplendore terrenæ gloriæ? *Non me pudet crucis Chriſti*, inquit Apoſtolus, quæ nullis incutere Chriſtianis pudorem debet. Inter crucē, & aquilas infinita dignitatis diſcrepantia: comparatio inſtitui debet, ſecundum *Ariſtotelem* inter univoca: *Non eſt tanti vitrum, quanti margaritum*, quod olim dixit S. *Hieronymus*. Sed *gladius* Petri *gladio* Conſtantini, *Apoſtolica ſedes Cæſariæ poteſtati præiudicat*, quorum alterū apertè falſum, alterum te fatente, ſed imprudente, fortaſſis verum eſt, aliquo ſaltē in ſenſu. Quis erat ille diſtrictus S. *Petri* gladius? materialis, an ſpiritualis? Si materialis, eſt ille quidem ab ipſo *Petro* in vaginâ reconditus: ſi ſpiritualis, non eſt alius quàm *ſpiritus ſancti gladius*, quod eſt *verbum Dei*. Illius mucro nullius cujuſquam latus aut

jugulum

jugulum petebat, tantummodò ſuis actminibus conſcientiam compungebat, *Conſtantini* gladio nullatenùs præjudicat, qnia *non frùſtra* eundem *portat*, *Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum agit*, utque jubeat pro veritate, puniat cõtrarium. Verùm *Apoſtolica ſedes præjudicat Cæſareæ poteſtati:* Scio quid captes prejudiciumq; voces: veſtra Romana ſedes non eſt Apoſtolica, ſed Apoſtatica, eaq; non ſemel, aut iterum, ſed multoties non modò imperatoriam poteſtatẽ præiudicijs ſuis damnavit, ſed etiam Majeſtatem pedibus conculcavit. Addis poſtremò, quod hinc ſatis appareat, quod *vix ulli in orbe Chriſtiano Reges*, qui tam benè ſenſerunt, meliuſq; meriti fuerunt de Pontifice veſtro, quàm Reges Anglicani: certè & de bene-merentibus benè merendum, optimis, maximiſq; Pontificibus optimã operam illi Reges dabant, datamq; pulchrè locabant talibus, qui vel enſe, vel veneno, vel excommunicationis fulmine, vel tormentitio pulvere armati, & inſtructi, eorum cervicibus imminebant. Ad

144. 145. 146. *apud Petrum Bleſenſem.*

Ad amplificationem non tam obedientiæ quàm subjectionis Regum nostrorũ, *Parũ putârunt* (inquis) *si in Ecclesiastico regimine, ipsum regnum in temporalibus feudatorium fecerunt Pontifici.* Fatetur hoc *Henricus secundus* in Epistola iam citata: *Vestræ jurisdictionis est Regnum Angliæ, quantum ad feudatarij juris obligationem.* Sic & *Rex* Ina *Regnum suum vectigale fecerat Pontifici singulis argenteis nummis, quos denarios vocant* D. Petri, *in singulas domos impositis*, teste *Polydoro Virgilio* vrbinate, qui Pontificis quæstor, vel collector, in hanc Angliam veniebat, illiusque quæsturæ, collectionisvè abrogationem, & exterminiũ proprio oculorum obtutu videre poterat. Multa igitur hoc in loco inanitèr coacervas, ut probes regnũ Angliæ vectigale, & tributariũ Pontificibus vestris factũ, *& quantũ ad feudatarij juris obligationem, esse jurisdictionis pontificiæ, & ob supremæ jurisdictionis recognitionẽ* solutos fuisse denarios D. *Petri, & pietatis ac religionis causa*: Verius diceres cæcæ superstitionis causa: sed hæc omnia antiquata

Poly. Vir. l. 4. hist. Angl.

quata reperies & dissipata, quæ quidem cùm nascentia mala essent in sua origine, & in propagine crescentia essent pejora, salutaribus regni legibus de medio sublata sunt: non enim unquam fuit, eritvè regnum Angliæ Papę provincia, nunquam juris feudatarij. Quicquid unus, altervè Rex obsignaverat, nihil ad stabilitatem iuris, nam & universus ordinũ conventus resignaverat: unus ex omnibus repertus est *Rex Iohannes*, qui ob metum exercitus regis Galliæ, defectionemq; suorum civium regnum suum potestati Papæ permiserat, idemq; de manu sibi traditum à *Pandulpho* Legato receperat solutione annuâ mille marcarum, Pontifice Romano, de illo usurpato iure, & titulo per diploma cedente postea: itaq; firmarius Papæ factus est: Sed nec illa præstatio diu obtinuit, & denegata à posteris ad *Henrici* octavi tempora remansit. Inde sequutum est everriculum omnium pensionum, tallagiorũ, provisionum, exactionum, quæ papalis avaritia invexerat. Multus in hoc *Matthæus Parisiensis*, qui graphicè singula

describit, ad quem legendum, relegendũq; te remitto, ut videas, vel potius manu palpes inverecundiam exactorum vestrorum *Othonis*, *Marini*, *Martini*, *Petri Rubei*, sine rubore; exceptionesq; contra tot tantasque extortiones, & fraudes vestras, Regum, Episcoporum, Rectorum, & protestationes eorum, qui dixerunt. *Non quodcunque exegeris super terram exactum erit in cœlis*: & rescriptiones *Roberti* Lincolnienſis Episcopi contra provisiones *Innocentij* quarti, qui exclamavit,

Eius avaritiæ totus non ſuffieit orbis.
Ejus luxuriæ meretrix nõ ſufficit omnis.

Conquestio de hijs gravaminibus facta est in Concilio Lugdunensi, sed frustrà, per Procuratores Angliæ, ut de veritate injuriarum & contumeliarum, nulla quæstio institui debeat: verè dixit *Innocentius*, sed sine omni verecundia, *Verè hortus noster deliciarum est in Anglia, verè puteus inexhaustus est, ubi multa abundant, multa possunt extorqueri.* His omnibus fraudibus

bus et imposturis ante gressis ex iustà diuini numinis vindicta paulatim põtificia potestas exterminium est passa, nunquã postliminio reditura: quod etiam adnotavit in *Edwardo* tertio *Polydorus*: *Ac ita demùm paucis post annis Romanus Pontifex omne suum jus (quod olim ei fuit in Anglia) in Episcopos, ac præfectos creandos habere desivit: sicut & brevi potestatem imperandi sacerdotiorum decimas amisit*: **At** *neutrum Angliæ malo fuit, quando illa per id minus opes suas alieniginis hominib⁹ deinceps impertire, coacta est, id quod iam tum degustare cœpit.* Hæc & ipse *Polydorus* alienigena, & hactenus de præscriptionis (ut ita loquar) nullitate vestrâ. *Poly. l. 19.*

CAPVT VII.

Serenissimus Rex dissentit a *Bellarmino*, non dissentit a seipso, in iurisdictione derivanda.

An Rex ex propria doctrina, possit Primatum suum defendere.

CAP. VII.



INVENIRE te affirmas *duo principia in libello Regis, quæ si vera sunt, primatum suum tueri non potest.* Vnum *est* (*in quo convenit cum Bellarmino*) *quod qui habet primatum Ecclesiæ possit creare, & deponere Episcopos: dare illis iurisdictionem, & auferre. Vnde* Bellarminus, *quia vult Pontificem habere primatum* Ecclesiæ totius, *consequenter dicit, Pontificem in tota* Ecclesia *posse id facere. Rex verò, quia putat unumquemque* Regem *in suo Regno, & Imperatorem in suo Imperio habere primatum Ecclesiæ, consequenter dicit, unumquemque Regem in suo regno, & Impe-*

Imperatorẽ in suo imperio posse creare Episcopos, & deponere: dare Iurisdictionem & auferre: Alterum *principium Regis est (in quo dissentit non solum à* Bellarmino, *sed etiam à seipso, vt videbimus) quod Episcopi omnem suam iurisdictionem immediatè accipiant à Deo. Sic enim habet in monitoria præfatione. Episcopos esse in Ecclesia debere tanquam institutionem Apostolicã, ac ordinationem, proinde diuinam contra Puritanos, contraq;* Bellar: *semper sensi qui negat Episcopos à Deo immediatè suam iurisdictionem accepisse: Sed nihil mirum à Puritanis eum stare, cum Iesuitæ nihil aliud quam Puritano-Papistæ sint*. Ita igitur jus, serenissimum regem consentire in uno principio cum *Bellarmino*, dissentire in altero à seipso: tertium, ex proprio tuo cerebro depromitur, ex neutro, si vera sunt primatũ suum posse tueri. *Velitationem* istã tuam (non enim iusta pugna est) videamus, quando autẽ duæ, ac contrariæ sint inter se, ac dissidentes sententiæ, alterum fieri potest vt neutra vera sit alterum fieri non

non poteſt ut plus una vera ſit : *Bellarminus* vult ut pontifex in totâ Eccleſiâ, id eſt totâ domo Dei, poſſit creare & deponere Epiſcopos, dare & auferre juriſdictionem: Sereniſſima eius maieſtas hoc negat, & nos optime negare poſſumus.

Fidelis in totâ domo Dei nullus Romanus Pontifex poſitus, eidemuè præpoſitus, nec legitimè ad id uocatus, ſicut *Aaron*, vel *Moiſes* Rex vult *Imperatorem in ſuo Imperio, Regem unumquemq; in ſuo regno poſſe creare Epiſcopos, & deponere, dare iuriſdictionem, & auferre* : Etiam uult *per ætates complurimas certum ius ac inuiolatum apud Imperatores manſiſſe Romanos Epiſcopos creandi, adeoque Apoſtolicam ſedem ordinandi, ac in ordinem* redigendi. *In ſumma cuncta moderari quæ ad Eccleſiaſticum regimen quoquo modo pertinuerunt*. Prætereà, vult Epiſcopos Immediatè ſuam juriſdictionem à Deo accipere; Reges in exteriore juriſdictione primatum tenere ſuum, eundemq; à Deo arceſſere : obiter notanda falſitas tua

cuius

Becanus falso Regi affingit Episcopos omnem iurisdictionem immediate accipere a Deo.

---

cuius Regem velis libenter coarguere, quod fassus sit *Episcopos* omnem *suam iurisdictionem immediate à Deo accipere*, sed & illa maior falsitas, & effrons impudentia, Episcopos mediante Pontifice iurisdictionem deriuare vbi enim totidem syllabis reperitur, *Petrum* à Christo, Apostolos à *Petro* jurisdictionem hausisse: Vter igitur veracior, Rex, an *Bellarminus*? hic qui à nullo principio *Theologico* scripturæue loco puro, & plano, jurisdictionem trahit, sed rapit ad suum pontificem, an Rex qui ex omni purioris Ecclesiæ praxi, & ex nouo veterq; Testamento regium primatum communit in Ecclesiâ. Duo subnotas, *quod sermo sit de iurisdictione exteriori*: Quid ni? *Et quod (cum de eâ agitur)* Bellarminus *nullo modo consentiat cum Puritanis*. In uno conuenit quod Episcoporum iurisdictio non sit immediate à Deo: in altero disconuenit, quod ducatur à magistratu politico: Atqui omnis & omnimoda Episcoporum jurisdictio in foro exteriore Ecclesiæ, à princip-

principe non deriuatur, sed certa quædam, eaq; suis finibus circumscripta; quod quo dilucidiùs tibi ostendam homini peregrino, & Ecclesiam, & rempublicam ignoranti, paulo fusius explicabo. Duplex authoritas, eaq; subordinata, siue deligata est Episcoporum, partim à Deo, partim a summo magistratu Christiano profecta: à Deo nanciscuntur potestatē primo fundandarum, siue plantandarum, & regendarum Ecclesiarū, ac dirigendarum; deinde ministrorum, ac diaconorum ordinandorum, vsumque ac excercitium clauium soluendi pœnitentes secundum verbum Dei, ligandique impœnitentes quod totum versatur in censuris admonitionis, reprehensionis, suspensionis à cœna domini, excommunicationis, & anathematismi quarum tres priores communicatæ sunt cum omnibus ministris verbi, quatenus quidem suspensio accipitur à sacramento dominico, posteriores duæ, & si perpraxin antiquioris, & purioris Ecclesiæ præcipuè ac speciatim attributæ sunt cunctis Episcopis, haud ita tamen

quin

quin & alij verbi ministri (quibus claues annexæ sunt legitime) eisdem censuris vti possint, modo Ecclesiæ jura non impediant ob justas causas aliter disponentia: quod factitatum est apud nos in magna Britannia, ratione quorundam ciuilium effectuũ, quos excomunicatio, & anathematismus ex legis uigore operantur, vt de cautione admittenda, de excommunicato deliberando, &c. Atq; hæc summa est Episcopalis authoritatis deriuatæ à Deo, & non ab homine. Sed ab authoritate regia fluunt ista, & præscribuntur Episcopis (legibus mediantibus ac moderantibus) loci, in quibus diæcesium termini, modi, per quos, cum alijs circumstantijs exequendi, exercendiq; jurisdictionem, quã dudum diximus. A principe, & legibus etiam adepti sunt assistentiã, & robur neruosq; jurisdictitionis Episcopalis, soliditatem, salubritatemq; ad contumaciam puniendam, ac uindicandam eorum qui delinquunt, vtpote hæreticorum cõburendorum, taliũq; qui vltra 40. dies

dies excommunicati peruicaciter persistunt. Postremò, ipsa capita, & materiæ, in quibus jurisdictio eorum tota occupatur, trahuntur à principe, in quo tanquam supremo gubernatore, omnis jurisdictio, tam Ecclesiastica, quam ciuilis, coalescit sub Deo. Talia attributa sunt Episcopis, causæ, ac rituli beneficiorum, stipendia, prædia, sustentationes ministrorum, Ecclesiarum, ac cæmiteriorum fabricæ ac tuitiones, matrimoniales contractus, diuortia, actiones diffamationum, punitiones variorum criminum, quæ Ecclesiastica vocantur, quæ iure communi huius regni Angliæ non puniuntur, vel utriusq; simul iuris seueritate uindicantur. Atque hæc pars Episcopalis functionis non iniuria à supremâ Christiani principis potestate, sub Deo, tota proficiscitur. Nunc ad sophistomaniam tuam retundendam accedo: Sic igitur disputas, ut unum principium Regis ex altero principio destruas. *Ex his duobus principijs quæ ex libello Regis desumpta sunt, conficio hunc syllogis-*

mum

mum contra Regem: Qui habet primatum Ecclesiæ potest dare, & auferre iurisdictionem Episcopalem quibus vult, iuxta secundum principium: At Rex Angliæ non potest dare, & auferre iurisdictionem Episcopalem quibus vult: ergo Rex Angliæ non habet primatum Ecclesiæ in Anglia. Minorem probo ex primo principio, quia Episcopi omnem suam iurisdictionem accipiunt immediatè à Deo: ergo non accipiunt illam immediatè à Rege: ergo Rex non potest illam immediatè dare: ergo nec auferre. Ad maiorem ita respondeo: Qui habet primatum Ecclesiæ, potest dare, et auferre jurisdictionem Episcopalem quibus vult iuxta secundum principium: at Rex non potest: Ergo: Minorem probas ex primo principio, quia ipsi jurisdictionem *omnem* à Deo accipiunt immediatè: Ergo non immediatè a rege. Hic sunt quatuor termini, ut loquuntur dialectici, et committitur fallacia à non distributis ad distributa, per illud verbum *omnem iurisdictionem*; Episcopi omnem juris-

dictionẽ collectiuè vel distributiuè, id est, mediatè vel immediate sumũt. Istãautem jurisdictionem discreuimus, ac distinximus ex præmissis nostris: Iurisdictio fori interioris tota est à Deo immediate, & fori exterioris quia Episcopi suum habent Ecclesiasticum tribunal, assistentiam illius, & limitem circumstantiarum habent à Rege mediante lege. Quare in eâ veritati attestatur Rex, & Episcopalem dignitatem, & auctoritatem esse institutionem Apostolicam, & ordinationem diuinam, & partem illam jurisdictionis à Deo immediatè profluere, partem alteram a potestate regia promanare. Quæ responsio nostra est ad calumniosum dilemma tuum, vbi quæris, an omnis Iurisdictio fundetur in loco illo. Mat. 18. v. 17. Dic Ecclesiæ, & quereris, quod *Omnis iurisdictio spiritualis* Regi *debeatur à nobis, iure diuino: Non* (inquis) *interior iurisdictio* (nobis fatentibus) *nec exterior, quia illud ius censura est.* Ergo nulla iurisdictio debetur: Optime tibi respondit E-

lienſis

lienſis niſi quod dextrâ manu tibi porrigitur ſiniſtrâ manu, & aure velis accipere: Habet Rex omnem iuriſdictionem ſpiritualem in foro exteriore, cenſuris quibuſdam exceptis, quia eſt nobile & primariũ Eccleſiæ membrum, ideoq; *Cum fit Chriſtianus acquirit ſibi nouum ius in bonis Eccleſiæ*. Sereniſſimus itaque Rex non eſt ſibi contrarius, ſed *Bellarmino* è diametro repugnat, qui maluit, à pontificè Romano, quam immediate à Deo iuriſdictionem ducere, quod merum ſomnium eſt, & delirium non certè ſanctum. Ecce autem tibi è tranſuerſo ſyllogiſmum noſtrum. Qui habet pleniſſimam, & ampliſſimam iuriſdictionem in foro exteriore, poteſt eandem dare, ac auferre. Totum hoc liquet; Rex enim, habet (prout ſuperius diſtinximus) in foro exteriore, ergo poteſt eandem dare, & auferre. Totumq; hoc liquet ex vetere, & nouo Teſtamento; & ex factis principum purioris Eccleſiæ temporis, & ex conſimilium regũ noſtrorum factis: Lude igitur (quoties libet)

Confut. quod Regis ſui cauſam negligenter egerit.

in ambiguo, primatum Regis, quem principatum non tibi finximus, cum veris autem lineamentis depinximus nihil lædis, pontificatũ certè veſtrum & παμβασιλείαν, in Eccleſia Chriſti magis, magiſquè deriſioni, ac faſtidio, & odio propinas. Principia Regiæ doctrinæ ſunt certa, vera, ſana, ſincera, tuæ doctrinæ, inanes, incertæ, vanæ, inſanæ ſubſtructiones: quamobrem hactenus ex ijs quæ a te allegata potius quam probata ſunt, *nec ex iure naturali, nec iure diuino veteris teſtamenti, nec iure ciuili, aut canonico, nec conſenſu doctorum hominum, nec titulo legitimæ præſcriptionis, nec ex principijs propriæ ſuæ doctrinæ, valuiſti deſtruere ius Regij primatus, in Eccleſia*, Apageſis igitur *Becane* cum cæteris tuæ farinæ pontificiorum tribunalium adulatoribus. Sarta tecta eſt vobis ringentibus Ieſuitis, tota & integra Chriſtiani principis in Eccleſia Chriſti ſacroſancta authoritas.

Quod

Officium Regis erga Ecclesiam, vt sit non tam aduocatus Ecclesiæ, quam defensor fidei, & iussor pro Christo, & Ecclesia.

Quod sit ergo officium *Regis circa Ecclesiam.*

CAP. VIII.

OStendisti *hactenus prolixè*, teipso judice, *Reges & principes sæculares non habere primatum, seu iurisdictionẽ exteriorem in Ecclesia, ac proinde sua authoritate non Ecclesiam regere, synodos conuocare, lites & controuersias fidei dirimere, Ecclesiæ ministris creare, vel deponere, contumaces excommunicare: sed hæc omnia ad Episcopos, & Ecclesiæ prælatos diuino, ac humano iure pertinere. An igitur Regibus in regimine Ecclesiastico nihil reliquum est? An planè ab hac cura exclusi sunt? & immunes? Dicam (*ais*) paucis quod res est: & dabo* Cæsari *quæ* Cæsaris *sunt, Deo quæ Dei sunt.* Quicquid pollice-

beris non præstabis *Becane*, non dabis *Cæsari* quæ sunt *Cæsaris*, Deo quæ sunt Dei. Sed *quorsum auctoritatem, lites, ac controuersias fidei dirimendi, contumaces excommunicandi*, Regibus imponis tanquam ex dogmate, & assertione nostrâ? sed transeat hæc, siue iniuria, siue contumelia cum tota turmâ, & cohorte calumniarum tuarum. Audiamus igitur partim quæ vera dicis, partim quæ falsa: Primum illud veritati dissentaneum à Politicis, & Donatistis iactari solitum in vulgus axioma. *Quid Imperatori cum Ecclesia?* Maximè autem consentaneum, libertatem fidei cuiusuis ac religionis eosdem principes impedire debere. Proindè duo vitiosa sunt: alterum, nullam Ecclesiæ sollicitudinem gerere, alterum habenas omnes omni religioni permittere. Quod autem qualeuè est illud κατόρθωμα, vel officium regis? ita totam rem ad umbilicum perducis, *Debent Reges religionem tueri, ac defendere, non vt Domini, sed vt ministri, neq; vt Iudices, sed vt exequutores*: Probas hoc ex obsequio *Caroli Magni*, *Si Ecclesiarum*

Dei

Dei seruis magnificentiam nostram Impertimus eorumq; studijs libenter obsequimur: id nobis ad Augustalis excellentiæ culmen proficere credimus, & ex iuramenti formulâ superstitiosâ quidem. *In nomine Christi spondeo atq; polliceor ego* N. *Imperator coram Deo, &* B. Petro *Apostolo, me protectorem ac defensorem fore huius sanctæ Romanæ Ecclesiæ in omnibus, quatenus diuino fultus fuero adiutorio prout sciero, poteroque.* Postremò ex consuetudine in Franciâ, Hispaniâ, Angliâ, Poloniâ, Hungariâ, *vt simili iuramento obstringant se Reges & nominatim promittant defensuros se Ecclesiam ac Religionem, eiusque prælatis debitam reuerentiam & subiectionem præstituros.* Quod ad *Carolum Magnũ* attinet, is erat aduocatus Romanæ Ecclesiæ & patriciatus honore insignitus, sed & potestatẽ accepit *ordinandi sedem apostolicam:* quod erat multo ampliꝰ & magnificentius quã apostolicæ sedis & Ecclesiæ aduocatꝰ. Omnes norunt mutuis operis se adiuuisse & *Carolũ* magnum eiusq;

prædecessorem & romanum Pontificem: habebat ergo primatum re, sed obsequium nomine, ac simulatione officij præ se ferebat. Iuramenti formula non est pro Ecclesia catholica *sed Romana Catholica*: Iusiurandum Regum Angliæ pro parte Ecclesiæ verè Catholicæ in regno suo, quo obstringuntur. Quod Rex *Henrius* octauus, inclytæ memoriæ, cum oblatum sibi titulum defensoris fidei recepisset, re seria aduertens quantum sibi pondus gloriæ adseruaretur in cælis si *Fidei defensorem*, & propugnatorem præ se ferret in terris, postea re tota intellecta, & illius tituli ratione perspecta in Euangelicæ lucis crepusculo, instinctu quodam diuinitatis, repente spiritu plane heroico ad religionis causam prouehendam, & superstitiones euerrendas, exarsit, cum magna admiratione orbis terrarum: id ipsum in *Eàwardo* sexto posteà, Rege altero huius ætatis *Gratiano* meminisse poterunt omnes, qui vt olim *Gratianus* gentilitiarum superstitionum hostis acerrimus, titulum

tulum, & stolam pontificiam aspernabatur, sic neque minimam falsi cultus vmbram ceremoniamue fucatam etiamnum puer patiebatur, primatu nihilominus Christiano sibi retento, quo salubrius Ecclesiæ consuleret, ac in longitudinem temporis prouideret. Vtriusq; horum vestigia insequuta est, & patris & fratris, *Elizabetha*, nostræ, sed fæliciſſimæ memoriæ ac omni immortalitate digniſſima Regina. Eodem denique authoramento, & pignore, & amoris, & honoris, & obsequij erga Ecclesiam, sereniſſimus ac pientiſſimus Rex noster IACOBVS jure gentium, hæreditario sceptro magnæ Britanniæ potitus, seipsum fidemque suam obligat nec quicquã habet antiquius, & honorificentius, quã vt cum *Valentiniano filium se Ecclesiæ* profiteatur, & cum *Theodorico* Italiæ rege ex *Palatino* iudice, se alumnũ Ecclesiæ, & *discipulum* Archiepiscoporũ suorum, & Episcoporum, libenter recognoscat. Iam vero ad Epilogum festinat oratio, & te ipsum in hoc itinere non iturum longius sed substiturum lubentius,

diffidentiâ, ac desperatione totius causæ adactum adpromittis. Sicut autem in ipso limine & vestibulo huius causæ verum controuersiæ statum fecerim tibi, in proæmio operis huiusce mei, tu ipse nullum (quædam enim inaniter proposuisti, quæ statiim deseruisti, nec vspiam persequeris, ita maioris perspicuitatis causâ, & ut instituto meo adhærescam paucis expediam, rem totam itâque recolligam. Quæris in extremâ parte *quod sit Regis officium circa Ecclesiam* : Sunt quidem Reges Christiani, alijque principes, summi ac supremi omnium personarum gubernatores, fueruntq; tales in decursu temporum, primæuæ ac purioris Ecclesiæ, in ditione ac Imperio suo; includuntur cum alijs nutritijs ac nutricibus parentibus Ecclesiæ, saltem non excluduntur à procuratione Ecclesiæ : Non sunt autem nudi procuratores, ac aduocati, sed defensores Ecclesiæ, non tam annui quam custodes perpetui vtriusque tabulæ Decalogi; nam magi-

magistratus civilis.quia externus est, externorum tutor,ac custos est,sed cum cõsilio Ecclesiæ rectè sentientis, ac consentientis: non sunt fidei, ac religionis judices, sed contrariorum dogmatum, ut blasphemiæ, hæresios, schismatis,& consimilium sanæ doctrinæ repugnantium, vindices: videre debent, ne quid detrimẽti capiat Ecclesia, vel respu. ecclesiastica, providere, jubere, sancire salutaria pro Christo; nec tamen sunt præsules in ordine Hierarchicho, quantumvis primatũ tenent in regimine Christiano: ἀλλοτριοεπίσκοποι, esse non debent, sed tanquam communes Episcopi, τῶν ἐκτος, cum *Constantino*, & si opus sit, habent condere leges,& constitutiones canonicas, cum *Carolo* Magno,*Ludovico* pio, *Lothario*, visitationem instituere cum *Iehosaphat*,reformationem cum *Iosiâ*, abolere superstitiones cum *Ezechiâ*,*Solomone*,*Davide*, ordinare rem ecclesiasticam, & cum alijs universam domum Dei,si quæ contagio pervaserit,sedulò repurgare.

AD



Quomodo *Henricus* 8. verum titulum Defensoris Fidei sibi asseruerit.

AD SECVNDAM partem refutationis MARTINI BECANI, *quam* maledicè inscripsit:

DE ERRORIBVS ET PARADOXIS *REGIS ANGLIÆ*

RESPONSIO.

REX (ais) *in monitoriâ præfatione* Catholicæ fidei Defensorem *se appellat: quo titulo*, Henricus *octavus propter defensam contra* Lutherum *Ecclesiam Romanam à* Leone *Pontifice ornatus fuit. At quo jure* Iacobus, Henrici *Successor eundem*

eundem sibi vendicat non video. Primò, quia non defendit Romanam Ecclesiam contra Lutherum, *ut ille: sed eam cum* Lutherο *oppugnat.* Secundò, *quia multos habet errores circa fidem, multa paradoxa. Errores sunt hi.* 1. *Damnandam esse intercessionem Sanctorum, Missam privatam, communionem sub unâ specie, Transubstantiationẽ, Adorationem Christi in Eucharistiâ, thesaurum Ecclesiæ.* 2. *Reliquiarum & imaginum cultum esse intolerabilem idololatriam.* 3. *Nullum esse purgatorium, nec satisfactiones pro defunctis.* 4. Petrum *non fuisse vicarium Christi, nec habuisse primatum Ecclesiæ.* 5. *Papam esse Antichristum.* 6. *Veram crucem Christi, in quâ ipse perpendit non esse adorandam. Paradoxa numero sunt octo quæ sequuntur capitibus suis distributa.* De erroribus nihil te dicturum asseveras, utpote exagitatis toties à tuis, sed nondum confutatis. De paradoxis & inopinabilibus, non enim ψευδοδόξα ausus es appellare, mox videbimus, si prius ad præfatiunculam tuam pauca respondero: Quæris, quo jure *Iacobus Henrici successor*, titulum *defensoris*

fensores Fidei sibi vendicet? Iure quidem optimo quo quis Ecclesiam defendit, defenderitvè, non enim ex munere pontificio, sed iure merito suo hunc titulum adsumit: Quanquam enim ex adulatione papali, primum sit hic titulus natus, re tamen melius post intellectâ, à cunctis regni ordinibus, Regi tributus est, & ab eodem usurpatus. Sicut enim nomen *Pompeij* Magni, primum natum est (attestante *T. Livio*) ex assentatione militari, posteà tamen cùm ille Magnus, virtutem cum fortunâ adæquasset, à Senatu, populoq; Romano, & retentum est, & memorię cõsecratum: sic & hic titulus *fidei defensoris*, ab adulatione pontificiâ primum est natus, deinceps in verę virtutis testimoniũ, & pietatis elogium est commutatus. Ille quidem Rex *Henricus* ejus nominis octavus in principio *Lutherum* oppugnavit: postmodò eundem mutata sententia, (est enim optimus pęnitenti portus, mutatio consilij) propugnavit: Sed aveo audire, αυτοσχεδιασμα tuum de Christi vicario.

De Vicario Christi.

CAPVT I.

QVM primùm (*Becane*) liber iste tuus in lucem prodiit, diu multumq; mecum deliberavi, an animum ad scribendum appellerem, tibique homini nugaci, & audaci obsisterem, an potius nihil responderem, convitiatori Regis, ac obtrectatori famæ alienæ: Vtrumque dicit
Pro. 26. 4. *Solomon*, *Ne respondeas stulto secundum stultitiam suam, ne fortè adæqueris ei*: Et, *Respondè stulto secundum stultitiam eius, ne fortè sit sapiens in oculis suis*. Vicit illud consilium, ut tibi responderē, ne videare φρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν ἀλλα φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν. Isto igitur modo exordiris opusculum. *Christum esse Monarcham, & supremum caput Ecclesiæ, fatetur Rex*: Et rectè, Eph. 1. 23. *Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam*: & Ephes. 5. 23. *Vir caput est mulieris: sicut Christus caput est Ecclesiæ*: & Col. 1. 18. *Quæstio est, an habeat aliquem Vicarium, qui illius vices in Ecclesiæ Regimine*

sup-

Non est novum commentum: Spiritum sanctum esse Vicarium Christi in terris, vel explere vices Christi in terris, quod Seren. Rex dixit orthodoxè.

---

suppleat? Catholici *docent* Petrum, *& successores eius id præstare*: Lutherani & Calviniſtæ *negant*, *quia alioqui sequeretur*, inquiunt, *Ecclesiam habere duo capita, nempe Christum, & Pontificem, ac proindè monstrosam esse.* Rex Angliæ *in monitoria præfatione utriſq; se opponit. Vult quidem aliquem esse Vicarium Christi in Ecclesia, quod est contra* Lutheranos *&* Calviniſtas, *non tamen esse* Petrum, *cum suis successoribus, quod est contra Catholicos: sed esse Spiritum sanctum, quod est novum commentum.* Pſeudocatholici affirmant *Petrum* & ſucceſſores in Romana Eccleſia vicariatum, & primatum obtinere: Sereniſſimus Rex negat, pariformitèr & *Lutherus*, & *Calvinus* negant: eorum ratio evidens, quia ſequeretur Eccleſiam duo capita habere Chriſtum, & Pontificem, quod monſtri inſtar eſt. Cùm autem Chriſti Eccleſia, nec ἀκέφαλος, nec πολυκέφαλος ſit, media quidem via, id eſt, via regia incedere oportet, Chriſtum eſſe caput eſſentiale ſuæ

Eccleſiæ

Non est novum commentum, Spiritum sanctum esse Vicarium Christi in terris, vel explere vices Christi in terris, quod Seren. Rex dixit orthodoxè.

Ecclesiæ unicum, in cœlis & in terris, hominum & Angelorum caput, & nullum commune ministeriale caput inveniri: sed plura ministerialia capita sub Christo, gubernatores, præsules, & prælatos Episcopos Ecclesiarum, ordine hierarchicho dispositos sub Christo, non enim (quod sæpiusculè monuimus) Ecclesiæ Regimen est monarchicum, sed Aristocraticum. *Christus Ecclesiæ suæ Monarcha, Christiq; vices explet, quem venturum promiserat Spiritus Sanctus*: ex quo consequens est, quod ex symbolo, vel *regulâ Fidei* Adducitur, *Christum in cœlos receptum sedere ad dextram Dei Patris, misisse* Vicariam *vim Spiritus Sancti, qui credentes agat*: & alio loco adversus *Praxeam*: *misisse secundum promissionem suam à Patre, Spiritum Sanctum Paracletum sanctificatorem fidei eorum qui credunt in* Patrem, *Filium, &* Sp. *Sanctum.*

Tertu. de præscri. c. 13.

Maledicentissimus ergo sis (*Becane*) qui appellas hoc novum cõmentũ Regis, vel

Serenissimus Rex veraciter dicit Spiritum sanctum explere vices Christi in terris propriè, id est, verè.

---

vel cæteris authoribus orthodoxis contrarium, tantum abest, ut ex limatulo, & politulo tuo judicio, censeatur Paradoxū. Causa igitur expeditissima est, nihil adhuc Serenis. Rex adfert, nisi quod & clarissimâ voce loquutus fuerit Evangelista. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternū, Spiritum veritatis. Paracletus* Sp. *Sanctus, quē mittet Pater, in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret omnia, quæcunq; dixi vobis.* Quas offucias, quasvè tenebras loco tam perspicuo, & plano offundes? Sed tibi certū est, tuo more, tumultuari, ac tergiversari, & atramenti effusione, tutari temetipsum, quod facit *Sepia. Hîc primum quæris, propriè, an impropriè loquatur Rex? Si propriè, errat: si impropriè, decipit. Si impropriè loquitur, erit hic sensus,* Petrus *non est impropriè Vicarius Christi. Spiritus Sanctus est impropriè Vicarius Christi. At hoc non venit in controversiam.*

Sereniſsimus Rex veraciter dicit Spiritum ſanctum explere vices Chriſti in terris proprie, id eſt, verè.

Si autem propriè loquitur, erit hic ſenſus, Petrus *non eſt propriè Vicarius Chriſti: Sp. Sanctus propriè eſt Vicarius Chriſti. At hic duplex error eſt: alter de* Petro, *quem alio loco refutabimus, alter de Sp. Sancto.* Quomodo (quæſo) loqueretur Seren. Rex, niſi purè, ac propriè, & planè, & quod Chriſtus ſacro ore anteà loquutus eſt, *Chriſtus Eccleſiæ ſuæ monarcha, Chriſtiq; vices explet, quē venturum promiſerat Sp. Sanctus.* Quem hîc nodum quæris? quamnè ambiguitatis umbrā conſectaris? oſtende quomodo erret Rex, vel decipiat, id eſt, alios errare faciat. Tu is es, qui in fraudem illicis. *Si impropriè loquutus eſt.* Quid tu? qui poſt longam λογομαχίαν, ita concludis, *Negari enim non poteſt, Sp. Sanctum impropriè ſaltem vocari aliquo modo poſſe Vicarium Chriſti,* & rationem das, quia *poſt mortem Chriſti, multa per inſpirationem docuit Apoſtolos, quæ Chriſtus volebat eos ſcire;* & ad firmamentum dictionis tuæ, *Tertullianum* producis *Chriſtum miſiſſe vicariam*

vicariam vim Spiritus sancti, qui credentes agit. An verò impropriè, & ille mittens, & hic missus? At inquis, *hoc non venit in controversiam*, esto, nisi tu devoces. Duo ponis axiomata. Petrus *non est impropriè vicarius Christi. Sp. Sanctus est impropriè vicarius Christi.* Ergo, secundum te, Si *Petrus* non est impropriè, ergo propriè est Vicarius Christi, te ista disiungente, nam nihil medium esse vis, & *S. Sanctus est impropriè vicarius Christi.* Vtraq; blasphema. Benè igitur nolis ista vocari in cõtroversiam: *Si autem propriè loquitur Rex, erit hic sensus*, ex tuà distributione, *Petrus propriè non est vicarius Christi. Sp. Sanctus propriè est vicarius Christi*: quorum posterius in suo sensu verum est, prius falsum, quia secundum intellectionem tuã, vis esse generalem Vicarium Christi in terris. S. Sanctus autem verè, id est, propriè, & non catachrestícè, est Vicarius Christi in terris, id est, Spiritus Sanctus, & non alius est, qui explet vices Christi

Monarchæ suæ Ecclesiæ in terris. At hic invenis geminum errorem. *Alterum de Petro*, quem alio loco refutabis, qui adhuc est in nubibus: *Alterum de Spiritu Sancto*, quem uno argumento refellis, velut uno ictu causæ jugulum feris. *Vicarius propriè loquendo minor est, seu inferior eo, cujus est Vicarius*: & hoc probas *ex communi usu, & conceptu*, tam apud vos, quàm nos. *Si ergo Rex dicit*, Sp. *Sanctum esse propriè Vicarium Christi*, *necesse est eum dicere* Sp. *Sanctum esse minorem Christo. Hæc est hæresis Macedoniana. Ergo Rex hæreticus est.* Negatur in hoc Enthymemate & antecedens, & consequens. Nomen vicarij multiplex est. *Vicarius ecclesiasticus, alius est perpetuus, alius temporalis: vicarius perpetuus Ecclesiæ Parochialis, qui habet curam animarum, authoritate Episcopi institutus. Vicarij etiam temporales sunt in duplici differentiâ: quidam dicuntur vicarij simpliciter, seu generales, id est, ad omnia loca, & negotia consueta: quidam vicarij secundum*

Summula Episcopi Chiemensis in verbo VICARIVS

cundum quid, hoc est, quo ad aliquem locum, & actum aliquem determinatum, quorum authoritatem ex commissione mensuramus, tales Papæ, & Episcoporum, & Prælatorum, aut Rectorum Ecclesiarum Parochialium. Vicarius etiam alius, qui ex mandato, vel procuratorio agit: nec is semper qui vices suas alteri committit, ex procuratorio, minor seu inferior est: pares interdum, & æquales sunt, quod videre est in publicis commitijs, & privatis literis, cùm alter alteri suas partes vicesvè demandet, cum tamen, & potestate, & dignitate æquales sint. Restat igitur, cùm Spiritus Sanctus tam ex missione, quàm commissione, vicarius sit, haud tamen minor, cum essentiæ ratione, & dignitate æqualis habeatur. Pontifex vester vicarius omnipotentiæ non est, sed impotentiæ, nullo modo tanto ponderi subeundo, vel muneri obeundo idoneus, vel par; utpotè Angelorum humeris oneri impari, nedum hominum, quales sunt vestri Pontifices peccatores. Malè supponis, *Vicarium propriè loquendo*

---

minorem eſſe eo, cuius eſt vicarius, ſed potiùs eo ipſo quod eſt Vicarius. Quare manet hoc, Spiritum Sanctum æqualem eſſe eſſentiâ, & potentiâ Deo Patri, & Filio, & tamen explere vices mittentis, quod dixit Sereniſſimus Rex; mittitur Spiritus Sanctus à Filio, Filius à Patre. *Non eſt* (inquit *Cyrillus Alexandrinus*) *ſervilis miſſio* (*quamvis merito ita dici poſsit*,) *propter formam ſervi, ſed mittitur ut verbum ex mente, ut ſplendor Solis ex Sole, ut fulgor ex reſulgente*. Eadem ipſa quoque miſſio, & commiſſio Sp. Sancti, non eſt ſervilis miſſio, ſed æqualitatis, ordinis, & rationis. Cave itaquè, ne tu propiùs ad hæreſim Montaniſmi accedas, quàm *Sereniſs. Rex* ad Macedonianam hæreſim, qui meram creaturam, alterum paracletum, Romanum Pontificem tuum, Vicariũ Chriſti ſemper ſomnias, eundem includendo; Spiritum ſanctum prorſus excludendo, ab externo, & interno regimine Eccleſię. Addis *duo dilemmata: unum, vel S. Sanctus*

eſt

Spiritus Sanctus non est minor eo, cuius est Vicarius, sed eo ipso quod est vicarius.

Christus Homo-Deus ad totum complexum extenditur, ut S. sanctus sit hominis Dei vicarius,

---

est propriè vicarius Christi secundum humanitatem, vel secundum divinitatem. Si prius; sequitur Sp. Sanctum esse minorem Christo homine, quod est valdè absurdum. Si posterius, sequitur, Christum secundum divinitatem esse caput Ecclesiæ, quod etiam absurdum est. Nam quatenus est caput Ecclesiæ, non habet regnum temporale, ut fatetur Rex Angliæ, ex illo Ioan. 18. 36. *Regnũ meum non est de hoc mundo. Habet autem regnum temporale, quatenus est* Deus. *Ergo quatenus* Deus *est non est caput Ecclesiæ.* Vndè Augustlib. 1. Trinit. cap. 12. *Christus secundum formam Dei primogenitus omnis creaturæ: secundum formam servi, est caput corporis* Ecclesiæ. Neutrum sequitur absurdum, vel Spiritum Sanctum esse minorem Christo homine, quod paulò antè diluimus, vel Christum secundum divinitatem esse totius caput Ecclesiæ. *Si Spiritus sanctus sit propriè vicarius Christi.* Christus autem, *Homo-Deus*, ad totũ cõplexum extenditur, ut Sp. Sanctus sit Hominis-Dei Vicarius.

Vna persona alteri suam vicariam vim largiatur nihil absurdi est: nec introducit minoritatem απλῶς,

---

Christus autem non divisim, sed conjunctim Deus, & homo est: & cum habitudine, & rationis respectu: vocabulum *Filius-Deus*, vel *Deus* est concretum, non abstractum. Vt verò una persona, alteri personæ, vicariam vim, fidem, & operā largiatur nihil absurdi est: tua quidem terminorum transpositio in syllogismo absurditatem affert: *Christus* autem *quatenus est caput Ecclesiæ non habet regnum temporale. Christus autem habet regnum temporale, quatenus est Deus: Ergo quatenus est Deus, non est caput Ecclesiæ.* Ad majorem respōdeo, Christus cùm versaretur in terris, nō habuit regnum temporale, regnum enim ejus non erat de hoc mundo, sed spirituale, & tamen erat caput Ecclesiæ. Ad minorem, Christus habet regnum temporale, quatenus est Deus: quia post resurrectionem, sibi data, & *tradita* erat *omnis potestas*, vel regnum *in cælis*, & *in terris*, quatenus erat homo Deus: Ad *August.* authoritatem cum concessione respondeo, *Christus secundum formam Dei, Primogenitus omnis creaturæ, secun-*

Lib. 1. de Trin cap. 12.

Vt una persona alteri suam Vicariam uim largiatur nihil absurdi est: nec introducit minoritatem ἁπλῶς.

secundum formam serui caput corporis Ecclesiæ. Sed quæro à te, an loquatur tam de naturâ, quam de personâ Christi, id est de Christo qui est *Homo-Deus.* Sed talem tibi formemus syllogismum ex Diuo *Paulo*. Qui primas tenet ἐν πᾶσιν αὐτος πρωτεύων, Colos 1.18 vel primatum tenet in omnibus, is est caput corporis Ecclesiæ: Sed Christus Homo-Deus primatum tenet in omnibus: Ergo Christus Homo-Deus est caput Ecclesiæ: Vide quâ frontè, vel mente tuearis illa tua συμπέρασματα. Sed nimium altercando veritatem amittis, & tui ipse obliuiscaris, & eorum quæ à te sunt effutita. Sed ad *alterum dilemma* festinat oratio, in quo grauissimam contumeliam, vel potius blasphemiam intorques, in ipsum qui toties à te contristatur, Sp. Sanctum. *Vel Sp. Sanctus est propriè* (inquis) *Vicarius Christi in externo regimine Ecclesiæ, vel interno. Non prius, quia non apparet fidelibus in externâ, & visibili specie: nec facit ea uisibiliter, quæ fecit Christus in mortali carne.*

Non enim administrat sacramenta: nō habet

conciones

conciones in publico, nec increpat subditos delinquentes. Nec posterius quia licet hæc omnia faciat occultâ quadam vi, nempe per internam illuminationem, sanctificationem, & increpationem, id tamen non sufficit ut propterea dicatur esse propriè Vicarius Christi. Primò, quia etiam in veteri Testamento, illuminabat prophetas, sanctificabat Patriarchas, increpabat Peccatores: Et tamen non erat propriè tunc Vicarius Christi. Secundò, Quia is propriè censetur fungi officio vicarij, qui præstat ea nomine principis quæ à Principe cum præsens est præstari solent. At Christus cum præsens erat uisibiliter, administrabat Ecclesiam: ergo Sp. Sanctus qui hoc non facit, non est propriè Vicarius Christi. Tertiò, quia illuminatio, sanctificatio, & increpatio cum sint opera Trinitatis ad extra (ut loquuntur Theologi) non magis conueniunt Spiritui Sancto, quam alijs personis: ergo nulla causa est cur in huiusmodi operibus Sp. Sanctus sit potius vicarius Filij, quam Pater, aut Filius sit vicarius Spiritus Sancti. Ad vtrumque lemma dilemmatis tui respondeo,

Falsissima *Becani* illatio: Christum (quatenus est Deus) non esse caput Ecclesiæ, id est, totum complexum, Christum-Hominem-Deum.

deo, atque verba integra nequaquam trā-scripsissem, nisi in hunc præcipuè finem, ut pudore saltem suffusus, tuis relictis aliquandò abires. *Non prius* (inquis) *quia non apparet fidelibus in exteriore, & visibili formâ: Non facit, quæ fecit Christus: non concliones habet, non administrat Sacramenta, non increpat.* Quid crepas *Becane*? an sic delineas officium Spiritus-Sancti? an tale quicquam (quod tu narras) pollicitus est Christus de venturo Spiritu Sancto? *Docebit vos, ducet vos, in viam veritatis, suggeret omnia, consolabitur in omnibus, manebit vobiscum*, & in vobis remanebit in æternum. Tota hæc operatio Spiritus Sancti intrinseca est, extrinsecum nihil. *Nec posterius: Quia licet occultâ ui faciat hæc omnia &c non tamen id sufficit vt dicatur esse propriè vicarius Christi*, & ob rationem triplicem. *Primò, quia illuminabat, sanctificabat, increpabat in veteri Testamento, & tamen non erat propriè vicarius Christi.* Disputas ab insufficienti enumeratione attributorū

&

& effectuum: Non est satis quod Spiritus Sanctus mentes illuminet, corda sanctificet, peccata increpet, nisi etiam mittatur *à Patre*, & *à filio*, & mittatur a patre, *in nomine filij*, quod est factum, non in vetere, sed in nouo Testamento, & excellente ratione factum est, & cum admirabilium gratiarum effusione. *Ego mittam vobis spiritum paracletum à patre, & alium paracletum dabit vobis alium* ὑποστασει, *non aliud* τῇ οὐσίᾳ, Secunda tua ratio infirma, & morbida est, & contradicit alteri lemmati disiunctionis tuæ: *Sp. Sanctus non uisibiliter administrat Ecclesiam*, quod Christus faciebat: ergo non est Christi Vicarius. Hæc tibi negatur consequentia: quia Spiritus vi occultâ, et inuisibiliter consolatur fideles afflictos, preces suggerit, et inenarrabiles gemitus, docet veritatem, obsignat adoptionem filiorum Dei in cordibus, denique inhabitat in credentibus, *non modo secundum dona, sed secundum essentiam, non quidem extensiuè*, nec tanquam pars essentiæ, vt

Iohan. 15. 26. & 14. 16.

som-

somniarunt *Manichæi* et alij fanatici, sed *intensiuè*, quatenus vbiq; est vt Deus, & præsentiæ efficacitate: neque enim sic dat dona sua, vt ipse alibi sit, sed adest donis et Ecclesiæ et singulis electis, *intùs*, et *foris*, eos regendo et viuificando, *Corpus vestrum, templum est Sp. Sancti, quod est in vobis, & communio Sp. Sancti sit cum omnibus vobis*, quod in institutionib⁹ *Theologicis preclarè* animaduertit *Gulielmus Bucanus*, vtinam diligentius animum aduerteret *Martinus Becanus*. Tertia tua ratio est, Quod *illuminatio, sanctificatio, & increpatio cum sint opera Trinitatis, ad extra (velut loquuntur Theologi) non magis conueniant Spiritui Sancto quam alijs personis: Ergo nulla causa est, cur in huiusmodi operibus, Spiritus Sanctus sit potius vicarius Filij, quam Pater, aut Filius sit vicarius Spiritus Sancti.* Euge bone vir, quid rerum nouarum apportas?

1. Cor. 6. 19. & 2. Cor. 13. 13.

Institut. Theol. Guliel. Bucan.

Omnia doctrinæ præpostera legibus ibunt.

Nulla

Spiritus Sanctus Paracletus mittitur a patre in nomine filii, & interno regimine est Vicarius Christi.

Becani disputatio vel πνευματομαχία, vel σχιομαχία.

Nulla causa subest cur Sp. Sanctus vicarius sit potius filij, quam Pater, & filius vicarius sit Spiritus Sancti; secundum te. Enthymema tuum huc recidit, *Opera trinitatis ad extra non magis conueniunt Spiritui Sancto, quam alijs personis : ergo Pater tam vicarius Filij quam Spiritus Sanctus &c.* Negatur consequentia, et licet ipse vacilles in verbis cum statim inferas; *Dicet Rex ista opera esse communia toti Trinitati, tamẽ per accommodationem tribui spiritui Sancto*, nunquam tamen obtinebis non esse hoc proprium munus & attributum Spiritus Sancti : nisi vim allaturus sis verbis ipsius Christi, velut alter πνευματομαχος. *Cum uenerit spiritus* Ioan. 16. 1. *Sanctus, ille arguet mundum de peccato, de iustitiâ, & de iudicio*, Neque necesse est quod ista responsio seipsam destruat quod secundum tritum axioma, *Potentia Patri, Sapientia Filio, Sanctificatio Spiritui Sancto* approprietur, vel quod S. Sanctus in eo opere agat vices alterius, et nõ suas.

Sunt

Spiritus Sanctus Paracletus mittitur a patre in nomine filii, & interno regimine est Vicarius Christi.

Becani disputatio vel πνευματομαχία, vel σχιομαχία.

Sūt quidē opera Trinitatis ad intra diuisa, & distincta, quod intra ipsā essentiā fiant; incōprehensibili modo, Paternitas soli patri, filiatio soli filio, emanatio vel processio soli S. Sancto, opera ad extra indiuisa, & tribus personis communia. Sed nisi serues personarum proprietatem, ordinem, & discrimem, maxima aborietur confusio, & perturbatio, quam tu magis magisque quæris de industriâ. Satis est ad veritatem verborum sereniſſimi Regis asserendam quod verè et propriè Sp. Sanctus *expleat uices Christi*, & quia mittitur, et quia in nomine eius mittitur. Tota tua disceptatio πνευματομαχία est & σχιομαχία, et lucta cum propriâ laruâ, et umbra, quod nec ratione missionis, nec ratione officij appellari possit vicarius Christi in terris. Eadem operâ quâ Spiritū Sanctum paracletum consolatorem, paracletum aduocatum Dei patris potes eludere, si in verbis velis ludere. *Si quis peccat habemus Aduocatum apud Deum*

Sicut Christus proprie παράκλητος id est Aduocatus ita vicarius proprie nec tamen minor vel essentia vel potentia.

---

um Patrem Iesum Christum Iustum. Iam quære, tuo more, sit ne Christus aduocat apud deum patrem, propriè vel impropriè; iuxta communem conceptum, vel notionem? eo ipso quod aduocatus paulò minor est, non essentiâ, non potentiâ minor, et tamen propriè advocatus, eadem fide, opera, jure optimo, quo quis Aduocatus, dicendus est. Caue igitur ac etiam, atque etiam vide, nedum malitioſè Macedonianam hæresim doctissimo Regi affingis, imprudenter in Montani hæresim temetipsum impingas, tantisper dum Pontifici Romano, vicariatum Christi in terris sibi asserenti strenuam operam nauas.

De Vicario Dei.

CAP. II.

EX verbis sereniſſimi REGIS; *Noſtrum eſt prouidere qui in terris Dei vicarij ſumus. Itemq́;*; *nam neque me Pontifice vlla ex parte inferiorem eſſe credo pace illius dixerim.* Hoc infers, *duos eſſe vicarios in Anglia, nempe Sp. Sanctũ &* Iacobum *Regem hunc quidẽ Dei; illum autem Christi: alterum in ſæcularibus, & Eccleſiaſticis ſimul; alterum in ſolis Eccleſiaſticis*, Quod dupliciter refellis: Primò, *quia inde efficitur, Regem Angliæ maiorem eſſe Sp. Sancto ratione officij.* Hoc ſic oſtendis. *Qui eſt vicarius Dei in ſæcularibus, & Eccleſiaſticis ſimul, maior eſt eo, qui eſt in ſolis Eccleſiaſticis. At Rex dicit ſe in vtroq́; genere eſſe vicariũ Dei; & Sp. Sanctũ in altero tantum eſſe vicarium*

Christi: Ergo in officio Vicarij facit se maiorem Sp. Sancto. Secundò; *Si Rex in primatu Ecclesiæ supra Apostolos, & Episcopos ponendus sit,* quæris, *quem ordinem, & locum in hierarchiâ Ecclesiâstica sortiri debeat? An immediatè post Christum? At sic esset supra Spiritum Sanctum, quem Christi vicarium esse vult. An potius post Sp. Sanctum, & tamen supra Apostolos, & eorum successores, ita vt medius inter hos & illum sit? At Spiritus Sanctus immediatè docet Apostolos, & illis immediatè promissus sit, ut fatetur Rex his verbis. Nec Christus, antequam in cælum ascenderet pollicitus est se* Petrum *qui Apostolos dirigeret ac doceret, relicturum; sed Sp. Sanctum se in eum finem missurum esse prædixit.* Quanquam ad ista tua consectaria nihil aliud respondere consentaneum sit, quam te non amplius velut anteà puerilitèr, & sophisticè ratiocinari, sed potius merè calumniari, tamen ita diluo mendacium tuum de duobus vicarijs in Angliâ, & ad minorem respondeo. Primum sere-

nissimus

Rex in suo regno cæleſtis Regis vicarius, nullum ſibi lo-
cum vendicat in ordine Hierarchico.

---

niſſimus Rex minimè hoc affirmat, ſe in vtroq; genere eſſe vicarium Dei: verè autẽ dicit *Sp. Sanctum explere vices Chriſti, in genere altero*, & abſtinet à verbo [Vicarij] ſuas igitur ſibi ſumit partes communes quidem cum omnibus regibus, & principibus, eaſdemque denegat pontificibus veſtris, infinitam juriſdictionem, & dominationem, & in Clerum, & populũ Chriſtianum aſſerentibus. Rex obit vices Dei ut *Iehoſaphat*; obeunt & alij magiſtratus, & principes ſubordinati: ſic *Emanuel Sa* veſter expendens illa verba. *Videte quid vos facitis, quia non pro homine iudicabitis ſed pro Domino, quaſi diceret, non ſolum vt Vicarij Hominis, ſed etiam Dei*. Præclarè Elienſis noſter: *Reges ipſi in regnis ſuis cæleſtis Regis vicarij ſunt, aut nos fallit* Eleutherius *veſter*, Sic enim ille *Lucio* olim Regi noſtro Regum Chriſtianorum *Primo, vicarium Dei illum in regno ſuo*, aut nos fallit *Anaſtaſius* Papa, ſic enim ille ad *Anaſtaſium Cæſarem*, *Præſtantia veſtra, quam velut vicarium præſidere*

deus iussit in terris. Secundo ad ζητημα, tuum vbi Rex ponendus sit in primatu, an immediatè post Christum, an potius post Sp. Sanctum? Sereniſſimus Rex nullum sibi locum uendicat in ordine *Hierarchico*: in externo regimine immediatè collocandus post Christum supra omnes personas, adstringunturq; omnes debita obedientia præstanda Christianis regibus quippe qui & iubent, & sanciunt leges pro Christo, & vetant contrarium. Sed ad compescendam loquacem stultitiam tuam, ad ea quæ disputata fusius anteà sunt te remitto, vbi asseruimus sacerdotes, & Episcopos in quibusdam, in liturgijs, in clauibus, in concionibus, in sacramentis superiores esse regibus, non in omnibus: Esse autem Reges supra homines, vel personas non supra res ipsas, id est Spiritualia Charismata, in quibus dispensandis nec primum, nec medium locum sibi arrogat Rex inter Spiritũ Sanctum, & Apostolos eorundemuè successores Apostolicos viros, aut Episcopos.

De

De Henoch & Heliah an *ſint in cælo?*

CAP. III.



Am tria alia paradoxa ingeris *Becane* aduerſus Clariſſimum Regẽ, quorum primum eſt quod *Rex doceat* Henoch & Heliam, *per multa annorum millia fuiſſe in cælo cum corporibus glorificatis. Sic enim ait, Vt autem illi* (Henoch & Helias) *qui tot millia annorum cæli fuerunt incolæ, mortalitatis legibus ſoluti redeant in hanc vitã ſicut commentitium eſt figmentum, ita naturæ planè repugnat ſanctificatorum corporum. Vnde ſequitur ſi tot annorũ millia fuerunt in cælo, & cæleſti beatitudine; fuiſſe ibi ante Chriſti mortẽ, & aſcenſionẽ. At hoc apertè falſum eſt*; quod tripliciter oſtendis ex tribus locis ſcripturæ, *cælum manſiſſe*

clausum toto tempore veteris Testamenti vsque ad passionem Christi. Heb.9.6. *Christum fuisse primum qui illud ingressus sit* Heb.6. 26. *statutum esse omnibus semel moriendum.* Heb.9.27. & Psal.88. 49. et proinde *Henoch & Heliam nondum mortuos* esse, tamen morituros, & interficiendos ab Antichristo, tempore vltimo. De *Henoch* Regem fassum. *Quia translatus est ne videret mortem.* Heb.11. 5. *De Elia satis constare*, quia curru sublatus &c.4. *Reg.*2. 11. Ad argumenta tua ita respondeo, & ex principijs doctrinæ quam sereniſſimus Rex astruit, tanquam firmamentis totius causæ demonstro. Quæstio nulla est an viuunt *Henoch* & *Helia*, nam inter nos conuenit: *Nam* Enoch, & Eliam *adhuc viuere nemo Christianus vnquam negauerit*, Abraham *enim*, & Isaac, & Iacob *etiam viuunt*; *vt Christus est author*: *Deus enim viuentium est non mortuorum Deus, inquit. Quantò magis in viuis sunt* Enoch, & Elias *qui nunquã more aliorum gustauerunt mortem.* Tota

igitur

igitur disceptatio quo in loco viuant, & an ita viuant vt sint iterum morituri? & an eum in finem viuant, vt Tempore vltimo interficiendi sint ab Antichristo? quod omnium inopinabiliũ παραδοξότατον dogma est, cum pro anili & *Iudaicâ* fabulâ habeatur, & ex nullo Theologico principio petatur, vel dilucido scripturæ loco: A vobis itaq; petit sereniſſimus Rex. *Quî possit hoc cum Theologiâ vel ratione consistere, ut hæc duo glorificata corpora de Paradiso, cælouè (vtro vos uideritis) descendant, prædicent, pugnent contra Antichristum, interficiantur ab eo, posteaquam per multa annorum millia fuerunt exempti à maledictione mortis cui per naturam omnes subiacent, tertio die resurgant ad imitationem Christi, ex inde multis miraculis editis redeant in cælum, veredariorum more, vltrò citroque cælum inter & terram cursitantes? hoc inquam* (ait Rex) *qûi possit in Theologia ac ratione consentire, captum meũ superat, maximè quod eos indutos esse oporteat cilicio quorum corpora fuerunt tam diu libera à peccato, ut non amplius ista*

macerationē indigeant : Et optimè Rex disiungit, & dilemmaticè quærit *Nunc enim oportet eos esse in cælo, aut in Paradiso*: nihil enim medium est vbi locari eos oporteat : *Si in cælo (quod haud dubiè verū est) glorificata sint eorum corpora oportet, cum nihil corruptible eò possit penetrare, ex quo consequitur, non posse eos amplius carnis infirmitatibus, ac potissimū morti esse obnoxios. Quod si sunt in terrestri Paradiso, primum scire auemus, vbinam sit ille paradisus, qua regione terræ, quibus orbis in oris?* Quum istis Regis axiomatib' satisfeceris, vel tu, vel *Bellarminus* vester, abundè toti quæstioni satisfactum putabo. Minimè autē opus fuit vt Regis verba mutiles vel distorqueas (quæ totam causam complexa sunt) & tamen sophisticè omnia in certamē deuoces. Vter nūc certi' aliquid statuit, tu tortuosus Iesuita, an Christianus Rex? ille quidem, qui ascendisse eos affirmat, in cælum, vel in paradisum, tu qui nihil certum ponis, nisi quod in cælo beatorum non sunt, & tamē

hoc

Verum Regis dogma: vivere *Enoch & Eliam*, & assendisse in cœlum, vel Paradisum.
Falsum *Becani* assendisse eos, id est, descendisse in terrestrem Paradisum.

hoc certum pro incerto ponis, & è vestigio supponis, & teipsum contradictione implicas, & involvis: *Nec mirum nos hoc ignorare, multa alia ignoramus, neq; solum nos.* Quumq; hoc tibi probandum incumberet, esse eos in paradiso terrestri locatos, contra assertionem Regis, qui vult eos esse in cœlo, vel Paradiso, alia diverticula, & Mæandros quæritas, *Multi putant ut Thomas Aquinas*, 3. p. qu. 49. artic. 5. ad 2. Ille igitur *Thomas* instar multitudinis, tibi: *Alij eos in loco aliquo amœno versari*: & ignorationem plurium locorum prætendis, ut de *Raptu* Pauli; *& sepulchro* Mosis; *& ubi fuerit* Mathusalem *in tempore diluvij, cùm constat non fuisse in Arca* Noe, *& quis fuerat bajulus literarum, quas, postquam raptus fuerat, scripsit ad Regem Iuda; ubi chartam & atramentum nactus sit; an currus & equi, quibus eò vectus, adhuc maneant in cœlo; & quo pabulo vescantur!* Sed quoniam hoc in loco, ut in cæteris festivus esse voluisti, fortassis tale aliquid sõnias, ut de solis equis, pastos eos Ambrosia,

&

Verum Regis dogma: vivere *Enoch & Eliam*, & assendisse in cœlum, vel Paradisum.
Falsum *Becani* assendisse eos, id est, descendisse in terrestrem Paradisum.

& potatos Nectare: hoc est pabulum humanitatis, vel literaturæ tuæ, quo tu Iesuita, & Matæologus, non communia inter pecora campi bipes asellus vesceris. Scriptura sacra de talibus minimè te anxium esse jubet. Res seria agitur, non ludicra, de raptu *Eliæ*, qui per turbinem ascendit in cœlum, *Ecce currus igneus, & equi ignei*: Disputa tu in posterum de equis igneis, & qui sunt equi ignei, doce, tum quo pabulo, etiamnum vescantur, docebimus: quis fuit literarum portandarum tabellarius, vel bajulus, haud multum intererit, cùm sint literæ repertæ in scrinijs *Eliæ*. Regrediamur ad quæstionem, *An Enoch & Elias sint in cælo* beatorum? nam illud scomma tuum de *cælo volucrum* recidit, & dilabitur in caput tuũ, qui volucre, & nimis incitatum ingenium, & disputandi genus semper consectaris: obiterque fallaciam æquivocationis committis isto modo: *Elias* per turbinem ascendit in cœlum: ergo

in

Henoch & Helias non sua virtute, sed efficacia sanguinis Christi introgressi Paradisum, cum corporibus glorioſis. Christus autem in tota humanitate glorificata, & virtute propria.

---

in cœlum aereum, ubi volucres, ergo non in cœlum empirium, vel Paradisum: Item, *Enoch* translatus est in Paradisum, ergo in terrestrem Paradisum. Iam tempus est, ut ad objectiones tres diluendas veniam. Ad primam, & secundam paritèr respondeo, *Cœlum clausum, & inaccessibile propter peccatum Adam, & illud primum ingressum fuisse Christum.* Primùm, illud verum, cœlum fuisse reseratum, non per sacrificia veteris tabernaculi, sed per passionem Christi, cujus *sanguis, clavis Paradisi,* secundum *Hieronymum*, et is *agnus occisus ab origine mundi*: Primùm, introijt is vi, ac facultate propriâ, alij virtute et efficaciâ effundendi, ac effusi sanguinis Christi: privilegium *Enoch* & *Eliæ*, quòd sint introgressi cum corporib⁹, et per οἰκονομίαν et dispensationem quandam, aliorũ quod sine corporibus: Christus in totâ humanitate glorificatâ ascendit in cœlum, & in perfectissimâ gloriâ assumptus: alij nõ itẽ.

Epist. ad Dardan.

Christus

Falsissimum dogma *Enoch & Eliæ* mortem non sublatam fuisse, sed dilatam, ut interficerentur & morerentur.

Christus non solùm sedit *ad dextram Dei, intravitquè in cælum, sed ascendit supra omnes cælos.* Divus *Paulus raptus in cælum tertium,* sed *utrum in corpore, vel extra corpus* ipse nescius *Deus novit,* idem tamen licèt sublatus in Paradisum, postea gustavit mortem : Alij bis mortui, sed in hoc mundo, ut filia *Archisynagogi*, & filius viduæ, & *Lazarus*: *Enoch translatus ne videret mortem,* scilicet, viâ ordinariâ, & more consueto eorum, qui animam in terris exhalant, & tamen illa corporis immutatio in raptu, fuit quoddam genus mortis, per quam quidē in gaudium cœleste, & gloriam intraverunt. Falsissimum igitur dogma tuum utriusq; *Enoch & Eliæ* mortem, non sublatam, sed dilatam, ut interficerentur ab Antichristo, & denuò morerentur. Vanissima, ac etiam frigidissima speculatio, ac theorema tuum, quod ambo in terrestri paradiso (qui vel computruit, vel aquis obrutus est) sine alimento sint servati, in extremum illud tempus; vel conservati ligno vitę, quo quidem vescantur

cantur intereà temporis, quæ temeraria affirmatio est, & nullo sacræ Scripturæ loco innititur: elige utrum vis: vel blasphemum est credere, *allum ex* Adami *posteris eò postmodum pervenisse, unde ob gravissimam offensam*, ipse *Adamus* fuerat expulsus, *Omnis enim ejus progenies maledicta est in ipso, & de terrestri Paradiso eliminata, nec non ipsa terra universim, ac Paradisus speciatim propter ipsum maledicta sunt*: vel stultum opinari aliquod coinquinatum, vel corruptibile in cœlestem Paradisum immigrare oportere; certissimumque est, quod clarissimus Rex concludit in quæstione, *Enoch* atque *Eliam*, corruptione, ac mortalitate corporum deposita *in cælo domicilium, & requiem habere.*

An Henoch & Heliah sint *interficiendi ab Antichristo?*

CAP. IV.



TOM ACHARIS (*Becane*) quia doctissimus Rex nimis anxiè, studiosèque commentatus sit, & anilem fabulã vestram de *Enoch* & *Eliâ* interficiendis ab Antichristo refutaverit, *cui tantum abest ut credat, ut contra isto tam erudito sæculo, hoc qui credat* (*Deum testatur*) *non modò pro magni nominis Theologo, sed ne pro Christiano quidem habeat: quin potiùs Scribis ac Pharisæis accenseat, qui sic insaniebant, ut quamvis Christus cõtrarium docuisset semper, tamen venturum esse* Eliam *somniarent.* Ratio autẽ ea est, *mirum non esse, si sæpiùs Patres hîc errent, & minùs rectè multa Apocalipseos mysteria intelligant, propterea quòd liber ille eorum tempe-*

temporibus adhuc obsignatus fuit: & licet mysterium iniquitatis *iam tum ageretur, ille tamen* homo peccati *nondum erat revelatus. In omnibus enim obscuris Prophetijs, certissima est regula, nunquam eas satis intelligi posse, usquê dùm compleantur.* Sed *nimis rigida est hæc censura* inquies. An non talis impostura post tot sæcula digna est censura et castigatione regiâ? Vt autem multa à vobis ἄτοπα, id est, absurda et à nullo logico, vel Theologico dogmata petuntur, nihil enim tam absurdum est, quod non ab aliquo Philosophorum dicatur, tamen hoc ejusmodi est, ut omniũ absurdissimum sit deliramentum: homines divina manu ad se raptos, et *æternitatis candidatos*, et immortalitate donatos, detrahi de cœlo à societate Angelorum, Christique contubernio, conspurcatos postea interimi ab Antichristo, idque sine ullo Scripturarum, vel aperto, vel obscuro testimonio: Attamen Patres qui huic dogmati contrarium sentiunt, fundari vis in illo undecimo Apocalypseos cap. nimirum

Tertul. lib. cont. Iudaos c. 2.

nimirùm hypothesios tuæ fundamento. Dabo *duobus testibus meis, & prophetabunt* 1260. *diebus, amicti saccis. Et cùm finierint testimonium, bestia quæ ascendet de Abysso faciet bellum adversus eos, & vincet, & occidet eos, &c.* Quod autem hij duo testes futuri sunt *Henoch*, & *Elias probant Patres*, Arethas *in hunc locum*, Tertul. lib. de anima, cap. 28. Ambrosius. in 1. Cor. 4. Hieron. epist. 148. ad Marcel. August. lib. 20. de civit. Dei, cap. 29. Bifariam respondeo, non omnes Patres hoc sensisse, & si plures essent, haud consensisse veritati: ratio est, textum de hijs duobus testibus nihil loquutum, nec Patres ideò fundatos in Scriptura, quæ certior est omni hominũ testimonio. Locus igitur obscurus est, & obsignatus, donec Prophetia complenda esset. *Arethas* primò citatur testis, deinde alij: *Arethas* hoc dicit, sed deindè sibi cõtradicit, quia nullum invenit testimonium in Scriptura, de redditione, sed translatione *Enoch*. Duo testes interficiendi sunt, secundum vos, at *Elias* & *Henoch* nõ sunt duo illi testes, ergo nec interficiendi: opi-

nionum

niõnum quædam diversitas est; alij *Enoch*, & *Eliam*, alij *Mosen*, & *Eliam*, alij *Ieremiam* opinantur, quorum nonnulli mortui sunt, alij vivunt. Atquè etiam, si in vivis, haud tamen venturi sunt, ut suo sanguine Antichristum extinguant, quod *Tertulliano* placet. *Augustinus* de conversione gentium, per *Eliam* fatetur, quod *celeberrimum est*, de adventu diffitetur: Idemque nihil aliud dicit quàm hoc ipsum, Puto, *quod maneant in mortali corpore*: nihil de adventu, vel prædicatione contra Antichristum. *Ambrosius* super 45. Psalm. affirmat *Henoch*, & *Eliam*: *Hilarius*, *Mosen* & *Eliam*, utri creditis? *Chrisostomus* & *Beda*, de *Elia* meminerunt, de *Henoch* nihil. *Damascenus* de utroque, cùm autem sint dissidentes inter se sententiæ Patrum, alterum fieri potest, quod neutra vera sit, alterum fieri non potest, quod plus una vera sit. Venis ad extremum *Becane*, videns te ad interitum ruere voluntarium quęstionis tuæ, id est,

Viva videns vivo sepeliri viscera busto,

Patres qui ita scripserunt, non sunt fundati in Scriptura, quæ certior est omni humana authoritate & experientia.

Dilemmaticè quæris, an *Rex omnes damnet Patres, vel aliquos?* & otiosè quæris, *Quis Regem Angliæ judicem constituit super antiquos, & recentes Patres in causâ fidei, ac religionis?* ὑστερον πρότερον. Respondeo, nec doctissimus Rex, nec Elienſis, qui Regis sententiam defendit, constituunt se Iudices, non agitur religionis, vel fidei res. Rex nullum veritati adfert præjudiciũ, rem totã ad Scripturarũ, & Christi judiciũ remittit. Ad illud lemma dilemmatis tui, *Si aliqui quinam illi fuerunt, si isti Patres non fuerunt?* Respondeo, illi ipsi Patres, alijq; innumeri fideles fuerunt Christiani, quibus Rex æquior est: Nævus fortassis in articulo fidei, vel religionis dogmate, delectat te, sicut nævus in articulo, pueri delectabat Alcæum, at nævus corporis macula est; hic autem priscorum Patrum nõnullorum haud omnium nævus, tui autẽ reliquorumq; qui hoc una tecum defendant maculosissimum, & inquinatissimum dogma, & delirium est.

De

De duobus teſtibus, *Apocalypſ.* 11.

CAPVT V.

FINITIMA huic diſceptationi quæſtio eſt, quinam ſunt hij duo teſtes, cùm certum ſit *Enoch* & *Eliam*, non eſſe hos duos teſtes. *Rex Angliæ, ut oſtenſum eſt, damnat eos* (inquis) *qui per duos teſtes, quorum fit mentio in Apocalypſi putant intelligendos eſſe* Henoch, *&* Heliam, *& eorum ſententiam non aliter, quàm Iudaicam & anilẽ fabulam, aut otioſum ſomnium interpretatur. Quid ergo ipſe ſentit? Audite Regis ſapientiam. Iam* (inquit) *illâ annili fabulâ refutatâ, de duobus illis teſtibus* Henoch, *atq;* Helia, *reſtat, ut meam conjecturam interponam: doceamq; quoſnam illos teſtes eſſe arbitrer.*

Arrigite aures populi. Rex Angliæ mira dicturus eſt. Interponit ſuam non ſententiam, ſed coniecturam. Non enim *inter Patres, & Epiſcopos, qui in Concilijs rem definire ſolent; ſed inter Mathematicos, ſeu conjectores videtur cenſeri velle. Audite ergo quid conjectet. Per duos* (inquit) *hoſce teſtes intelliguntur vetus, ac novum Teſtamentum. Hoc ſic probat: illi duo teſtes interficiendi ſunt ab Antichriſto, & poſteà à Deo iterum reſuſcitandi: Atqui ſacra Scriptura veteris ac novi Teſtamenti à Pontifice fuit corrupta, neglecta, & quodammodo interfecta: & poſteà à* Luthero & Calvino *fuit iterum in priſtinum honorem reſtituta. Ergo, conjectura Regis Angliæ veriſsima eſt. Magnũ, (ſi dijs placet) argumentum.* Atqui, tanti roboris eſt hoc argumentum, ut nullis viribus, vel *Achillis* veſtri *Bellarmini*, vel ingenioli tui poſſit expugnari. Sed audiamus (ſi placet) tuam indiſertam ſapientiam, vel loquacem potiùs ſtultitiam, & coaxationem tuã, & βατραχομαχίαν: an verò plebem Chriſtianam, vel populum Moguntinum

guntinum alloqueris, sic *Arrigite aures*; Solent asini aures arrigere, at verò excandescerres, si te pontem asininum transeuntem, sic interpellarem. Arrige aures Matæologe, non enim potes esse Theologus, qui talia præfaris: En sibi quantam fecerit audientiam inverecundus Iesuita: audite igitur omnes nationes, *Imperator*, *Reges*, *Principes*, alijque Orthodoxi. Rex Christianus interpositurus est sententiam, vel coniecturam suam, non ut conjector, vel ariolus, sed ut vir sapiens, & disputator subtilis, & edoctus à Spiritu Sancto sententiam illã suam, quam nihil absurditatis sequitur: tuam verò adventumq; *Enoch* & *Eliæ*, complura præstolantur absurda. Subjungis te dicturum, *quod res est*; stipulationi isti multum diffido, quia leviculus es & inconstans, & à scopo semper aberrans: Ego dicam, quod res est, & ex vera, & probabili conjectura, si prius Sereniss. Majestatis verba præmisero, non tam conjectura sua accipientis, quàm docentis. *Equidem fateor multò facilius esse ejusmodi nullâ ratione subnixas ac Theologiæ*

fundamẽtis adversantes fabellas refellere, quam tam alti, reconditiq; mysterij germanum sensum eruere. Duobus diversis modis mysterium horum testium, mea quidem sententiâ probabilitèr, & non incommodè potest exponi: quorum alter est, ut per duos *hosce* testes *intelligatur Vetus, ac novum Testamentum. Nam ut Antichristus non potest non inimicus esse verbo Dei, illudq; supra omnia odisse: sic nihil intentatum relinquit, quo illud* dedecoret, corrumpat, supprimat, *& quibus possit artibus* destruat. *Cæterùm, an hic liber duorũ Testamentorum, vel* duûm *Christi* testium, *vim aliquam à Babylonicâ Monarchâ passus sit necnè, nihil dicam, res ipsa loquitur. Sic inquam* corpora eorum *testium*, ad triduũ & dimidium diei, *sine sepulturâ proiecta sunt; id est, ad dimidium illius spiritualis hebdomadæ, quæ inter primum Christi adventum, & secundum intercedit. Et tum certæ Scripturæ tanquam cadavera jacebant, absque monumento omnium contemptui expositæ, neglectæ penè ab omnibus, nec a*

Apoc. 11. *vers.* 9.

pluribus

pluribus intellectæ, tùm nemo pœnæ formidine requirere eas, aut poſcere auderet: Eſt & alter magis receptus, qui ad literam contextus propiùs accedit: ſi dicamus per hoſce teſtes, non ipſum Dei Verbum, ſed Verbi Prædicatores intelligi. Pauci erant ab initio, qui illum hominem peccati *revelarent, & corruptelas ejus retegerent: appoſitè igitur duali numero deſcripti ſunt.* Nam in ore duorum, aut trium teſtium ſtabit omne verbum. *Neque major fuit eorum numerus, qui magnum illud opus inchoaverunt, quam negotij magnitudo neceſſariò poſtulabat.* Prædicabant in cilicio; *quippe pœnitentiam prædicabant: plurimos eorum crudeliſsimâ morte affectos fuiſſe, orbi notiſsimum;* Mox reſurrexiſſe *in ejuſdem doctrinæ ſucceſſoribus conſtat: idque tantâ vi & efficaciâ, ut omne miraculum ſuperet. Atque ita duobus modis explicata conjectura mea eſt, quos* duorum teſtium *nomine intelligi cenſeam, quorum Apocalypſeos* 11. *fit mentio, quanquam nõ ſit magnum utriuſq; diſcrimẽ; in altero n. ipſum Dei verbũ,*

Deut. 19. 15.

Apocal. 11. 3.

in altero verbum quoq; Dei, sed ex ore Prædicatorum ejus accipimus. Longiusculam seriem verborum Sereniss. Majestatis intexui disputationi, quia nihil potuit ornatius aut acuratius dici, quam quod clarissimus Rex complexus oratione, vel præfatione monitoria: ex quibus antegressis ita concludo: Cùm *Enoch* & *Elias* nequeunt esse testes illiusmodi, sicut à te tuisq; producuntur, quorum alter *ab Adam septimus*, nihil testatus de suo, de adventu Domini, clarâ voce vaticinatus est, *Ecce Dominus veniet cum millibus Sanctorum*: alter jam *venit*, quemadmodum interpretatus est Christus, de *Iohanne* Baptista sentiens: rationi consentaneum est, & nihil à religione, & fide alienum, sententiâ doctissimi Regis, quâ nulla hodiè veracior inveniri potest amplexari. Atque hæc Regis conjectura, nec *Bedæ* Anglo-Saxonis in hunc locum, nec *Augustini* sententiæ, quæ reperitur in Commentario inter opera sua præjudicat: quorum utrique *Ecclesiam illuminatam doctrina, veteris*

Omnes, vel aliqui orthodoxi cum Regis interpretatione consentiunt.

veteris ac noui Testamenti, per illos duos testes intelligunt: tantumq; abest ut quorundam certas personas introducant recentiores Theologi, ut potius omnes fideles ministros, & martyres illis cognomentis duorum testium comprehendant, *Theodorus Bibliander*, in suo Chron. tab. 14. & *Dauid Chytreus* in commentario illius loci, alijq; passim recentiores Theologi & interpretes. Verum enimuerò dicturus es tandem aliquando, *quod res est. Tota hæc Regis interpretatio meritò suspecta esse debet*. Primò, *Quia noua*. Secundò, *Quia nititur vnius hominis coniectura*. Tertiò, *Quia non potest esse à Sp. Sancto*. Quartò, *Quia corrumpit, vel potius interficit sacram Scripturam*. Ad singula respondeo. De qua demum expositione loqueris? De priore illa, vel de posteriore interpretatione? certe neutra noua est, sed petita ex sacra scriptura, neque omnis suspicio nouitatis, eadem falsitatis. Sic enim *Iohannis Baptistæ*, ac Christi, & *Pauli* predicatio, interpretatio noua esset legis, ac Prophetarum,

quæ

quæ erat non tam ratione Temporis noua quam nouata. *Audistis ab antiquo*, inquit seruator &c. *Mosis* legem interpretaturus *Non occides &c. Sed ego dico vobis &c.* Secundò, non nititur merâ coniecturâ, sed innititur fundamento sacrarum scripturarum, quæ sunt illi duo testes qui testimonium perhibent, *Vetus, ac nouum Testamentum*, vel in ore suo, vel in ore duum, vel trium prædicantium, qui quidem omnes orthodoxi sunt, & ita sentiunt, & quia euentus id comprobauit, de conculcandis sacris voluminibus per uos, cum sereniſſimo Rege consentiunt. Tertio, potest, & est à Sp. Sancto, licet enim primo modo, non sit θεοπνευστος, tamen secundariâ quadam ratione, & inspirata, & dictata est, à Sp. Sancto. Omne enim verum à Sp. Sancto est, attestante *Ambrosio*: hoc autem unum verum est, & vero nihil verius. Quartò, Non corrumpit, neq; interficit sacram scripturam quia nulli principio logico, vel Theologico contraria est, vos potius ij estis qui

cum

cum Phariſæis, fermento veſtro, & falſis gloſſematibus ſacras ſcripturas contaminatis. Petis ex iſtis præmiſſis quatuor argumenta, & quintum ex conceſſione ſereniſſimi Regis: ego brevius colligam, ne tædio afficiam candidum lectorem: video enim te non aliam methodum ſectari, quam vt diuidas, ac ſubdiuidas, & in particulas omnia frangas. Prima eſt inquis, *Omnis doctrina noua, quæ communi antiquorum patrum conſenſui repugnat, meritò ſuſpecta eſſe debet.* Secundum, *illa doctrina quæ vnius hominis nititur coniectura, non debet anteponi doctrinæ plurimorum patrum.* Tertium, *illa doctrina quæ nititur vnius hominis coniectura, non poteſt eſſe à Sp. Sancto.* Quartũ *eſt, is cenſetur corrumpere &c. Scripturam qui alio ſpiritu interpretatur quam quo eſt inſpirata.* At talis doctrina Regis eſt; Ergo. Reſpondeo non eſt ſatis ſereniſſimi Regis doctrinam verbis, ſed re ipſâ reuincere, aut inſimulare nouitatis: Quomodo patres fluctuent, ac pugnent inter ſe, dictũ

eſt

eſt anteà, ac cauſa luculenter à Clariſſimo Rege recenſita eſt, quæ ab omni calumnia liberet antiquos patres, partemq; Regis probabiliorem reddat. Secundò: vero vnius hominis aſſertio, ut *Michææ* contra pſeudo-Prophetas, & *Zedechiam* qui cornua ferrea ſibi fabrefæcerat, vt eorũ, ſymbolo, ſuæ Prophetiæ, feriret *Aram*: & *Eliæ* quaſi vnici, in cauſa Dei gloriã ſpectante, proteſtatio, contra *Mattanem*, & 450. Sacerdotes *Baalitas*: Vnius deniq; *Paphnutij* aſſeueratio authoris mutandi conſilij, contra uniuerſum cõciliũ præualebat. Tertiò: Addere debueras Regis doctrinam ita niti coniectura, ut tamen fundamentum iecerit in ſacris Scripturis, quæ Chriſto, interprete, nominantur *teſtes*, ſi modo illi teſtes dici debeant qui veritati atteſtantur. Hic apparentem (quod aiunt) digreſſionem tuã a quæſtione, moramur nihil, miramur magis ineptulã diſtinctionem coniectoris duũm generum: Sereniſſimus Rex, benè, ratione ſubducta, & ratiocinatione, vel inductione plurium

ratio-

rationum vſus, facit coniecturam, & ſupputat omnia, & non niſi Sp. Sancti auxilio prius implorato, & in timore domini loquuꝰ, *putat ſe habere Spiritum Sanctum.* *Quartum*, Doctiſſimus Rex eodem ſpiritu quo inſpirata eſt, eodem ſpiritu eandem Scripturam interpretatus eſt. Quare? Quia ſecundum Analogiam fidei interpretatur locum Apocalypſeos. Veſtra autem expoſitio antilogia eſt, & è diametro fidei repugnat, homines cæleſti beatitate perfruentes, & glorificatos corporibus per multa millia annorū, redire in ſæculum, ac iterum mori. Ad quintum, ex conceſſione Regis, argumentum, vel potius nugamentum, reſponſione nulla opus eſt, niſi hoc totum eſſet calumnioſum. *Concedit Rex* (inquis) *(ut ſupra viſum eſt) hanc propoſitionem. Quandiu Prophetia Apocalypſecos de Antichriſto, & duobus teſtibus ab eo interficiendis fuit obſignata & nondum opere completa: non eſt mirum ſi Patres errarint in eius intelligentia, & explicatione.*

At

At nunc postquam completa est, adeò planam, facilem, & certam habet intelligentiam, vt qui adhuc dubitet pro Christiano haberi non possit. Iam subsumo. Atqui ipsemet Rex, post completam prophetiam (vt ipse quidem vult) adhuc dubitat de totâ re: Ergo Rex suo iudicio, pro Christiano haberi non possit. Minorem Probo, quia per solam coniecturam probabilem colligit nomine duorum testium, intelligi oportere, Vetus ac nouum Testamentum. Hæc autem coniectura non facit rem certam, & exploratam. De Antichristo vero sic loquitur. Sanè quod ad definitionem Antichristi; nolo rem tam obscuram, & inuolutam tanquam omnibus Christianis ad credendum necessariam vrgere. Hic disertè fatetur esse rem adhuc obscuram & inuolutam. Nunquamne te pudebit os durum illiusmodi affictionis, an ita vult Rex? an dubitat de totâ re? post completam prophetiam? Ergonè suo ipsius judicio pro Christiano haberi nolit? αυτοκατάκριτος, tu qui tales concluſiunculas elicis: Sed minorem

probas

probas audaciusculè, & eandem operam, & oleum perdis. Quia per solam coniecturam probabilem Rex colligit, oportere intelligi vetus, & nouum Testamentum. Sereniſſimus Rex duo mysteria probabiliter, et non incommodè exponit. Alterum duorum testium, alterum de Antichristo, & quod ad prius attinet sic fatur. *Itaq; vt non tantum mihi arrogauerim, quenquam vt adigam in meam sententiam, nisi quem ipsa veritas, ac animi sui iudicium eo pertraxerit, Ita proponam probabiles coniecturas, quæ vt spero hæreseos, ac nimiæ curiositatis suspicione uacabunt*; Quod ad posterius planè ostendit quæ impulerit eum causa (vt ex Apocal. libro quem modo excusserat) ut Romanum pontificem Antichristum esse euinceret; & pergit porro: *Neque me ab istâ sententiâ vllus pontifex dimouebit, nisi qui nihil sibi iuris esse in Temporalibus principum rebus, ac negotijs prius fatebitur.* Tantum abest quod dubitanter se gerat in assertione primâ de duobus testibus,

testib° vt eam maxime tueatur cõtra vetustatẽ anilis,& *Iudaicæ* vestræ fabellæ; et in secunda,etsi definitionẽ Antichristi tãquam omnibus Christianis ad credendũ necessariam non vrgeat, inuitet tamen vnumquemque vestrum,vt refellat suam de Antichristo coniecturam,et ut *singulis disputationis partibus ordine respondeat,& methodum meliorem ad Apocal. expositionem subijciat,quæ neque contextus ulli parti repugnans sit, nec ineptum aliquid absurdumue contineat*. Aude aliquid breuibus gyris si lubebit, & si non de Antichristo tuo per te reformato, saltem pro eo per sereniſſimum regem deformato,rescribe, & resume tibi enthymema tuum virulentam: *Rex de tota re dubitat adhuc, ergo iudicio suo pro Christiano haberi non potest. Vide sis ne tu reputeris pro Antichristiano,qui ista tam impudenter* sub-sumis.

De

De Beata *Maria Virgine.*

CAP. VI.

REX (ais) *in præfatione monitoria partim benè, partim malè sentit de* B. *Virgine* Maria. *Malè vero, cum addit eam, se nostris rebus, ac negotijs non immiscere, neque ad nostras preces attendere, eó quod tota gaudio cælesti perfusa sit. Inquit enim, In cælis in æterno Sanctarum animarum receptaculo in æternam fælicitatem est collocata, nunquam à tantis gaudijs ulla terrenarum rerum cura, aut sollicitudine auocanda. Vis argumenti videtur esse huiusmodi. Qui in æternâ fælicitate ac gaudio sunt collocati, non possunt inde auocari, & nostris orationibus attendere: At* B. *Virgo in æterna fælicitate, & gaudio collocata est: Ergo non potest inde auocari & nostris orationibus attendere.* Maiorem propositionem videris negare, & exceptionem facere, quod, & summâ fælicitatè perfruantur, & simul res nostras procurent. Minorem concedis.

Sanctorum ignoratio eorum quæ hic aguntur, vel aliarum occupatio rerum, & summæ fælicitatis vsura in causa est, cur minus possint ad preces nostras attendere.

Sed primum nouum *errorem inuenis*, eundemq; deteriorem Lutheranorum, & Calviniſtarum, & abſurditatem maximam inuehis: Nos vtrumque aſſerimus, & ignorationem eorum omnium quæ hîc aguntur, & occupationem *B. Mariæ* virginis, & aliorum quo minus preces noſtras audiant, vel ſollicitudinem gerant, & propterea ſolum Chriſtum precibus interpellamus, quia ſolus καρδιογνώστης eſt. Fundamenta, & principia quibus nitimur hæc ſunt. Chriſtus unicus *Mediator & Aduocatus noſter, qui intercedit pro nobis ſedetque ad dextram Dei patris*, quem ſolum adorare, & inuocare debemus, apud quem Ieſum tutius loquimur, quam apud ullum ſanctorum. Quare ὑπερδουλίαν, iſtam abominamur in nullo ſcripturæ loco fundatam, & à uobis Pſeudo-Catholicis requirimus ut oſtenderetis unum aliquem locum, auctoritatemue ex patribus qua præceptum eſſet præſidia ſalutis noſtræ, ſubſidiaue calamitatis abs illis peti oportere: concludimus ergo cum Baſilio.

Quic-

Sanctorum ignoratio eorum quæ hic aguntur, vel aliarum occupatio rerum, & summæ fælicitatis vsura in causa est cur minus possint ad preces nostras attendere.

Quicquid extra diuinam scripturam est cũ ex fide non sit, peccatum est. Ad illam deductionem tuam ad absurdum respondeo: nec *Christum, nec Angelos custodes posse attendere ad ea quæ circa nos sunt* quippe qui summa fælicitate perfruantur: *quæ ingens blasphemia est* secundum te: Non est blasphemum dictu, beatam *Mariam* Virginem, et sanctos in cælis longissimè à rebus nostris abesse, & precib⁹ non adesse. Duo dicimus, primum; Dei natura n, & voluntatem non ferre alium aduocatum aliumuè seruatorem. Secundũ est; non esse diuorum naturam, & sortem vt præsentes sint ad audiendum, vel opitulandum ijs qui eorum opem implorant, vel terrenis negotijs distineantur in tali gaudio, & requiete collocati. Vox illa vera est. *Tu es pater noster*, Abraham *nescivit nos, & Israel non cognouit nos.* Quod si tanti patriarchæ, quid erga populum ex se procreatum ageretur, ignorauerunt, quomodo mortui viuorum rebus, & actibus cognoscendis adiuuandisue miscerentur? Esa. 63.

Aliud est, sanctos in cælis posse orare pro membris afflictis vniuersæ Ecclesiæ, aliud eos ex speciali affectu orare pro nobis, aut nos ipsos orare debere.

---

rentur? Alienum igitur hoc à natura, & sorte Sanctorum, vt illi salutem nostram procurent: cuius mentis *Augustinus* visus est fuisse, cum dicit *suam matrem, siquidem rebus viuentium interessent mortuorum animæ, se nulla nocte deserturam.* Proinde occupatio, & exercitium eorum qui compagè huius corporis soluti sunt, & in cælis degunt, vt *agnum sequantur, ac Deum laudent. Qui enim in domo tuâ sunt* (inquit Psalmistâ) *laudant te*: similiter, & Angelorum qui vident faciem Dei pari consortio cantent *Halleluiah*, & nisi iussi à cæleſtis militiæ imperatore, de statione sua excedant. Preces itaq; soli Deo fundimus, quas ad suum patrem solus Christus defert visio diuinitatis, & gloriæ fruitio in causa est, quo minùs preces nostras Sancti exaudiant, & terrenis molestijs omnino se miscere non habeant, ne perfectum illud gaudium interrumperetur. Quomodocunque sit omnia hæc sunt, vt aiunt, extra oleas: Nemo enim nostrum vnquam iuit inficias, Sanctos

mortuos

Aliud est, Sanctos in cælis posse orare pro membris afflictis vniuersæ Ecclesiæ, aliud eos ex speciali affectu orare pro nobis, aut nos ipsos orare debere.

mortuos posse sub altari clamare, posse orare pro fratribus, pro membris afflictis vniuersæ Ecclesiæ, Angelos canere Deo *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth*; At quod sigillatim pro vno aliquo nostrum ex speciali affectu preces fundant, aut quod nos debeamus illos invocare, aut eos inter nos, & Deum intercessores ascisceere, id hactenus nunquam probatur, faciat sanè triumphans Ecclesia quod debet, & quod Agnus iubet & Agno sedenti in throne & cytharis suis et voce laudes, & Alleluiah decantet: sed de officio Ecclesiæ militantis erga illos defunctos, nostra est lis, & controuersia, cuius in Apocalipseos libro nullâ est syllabâ. Argumentum tuum à disparatis vitiosum est, et consectarium vitiosius: Disputatio instituitur de Beata Virgine et Sãctis, quòd sũmo gaudio potiantur illudq; interrumpi non debeat, importunis hominũ precib⁹ in terris; tu totã litẽ ad Christũ deuocas: quasi ille eodẽ modo interpellandi à gaudio suo secundũ humanitatẽ auoca- Apocol. 6.

auocaretur ac impediretur, insulsum sanè ζήτημα sicut cætera : Christi humanitas à diuinitate non diuiditur, distingui potest, diuidi non potest, nisi sapias *Nestorij* hæresim : totum Christum considerare oportet : ille quoad totum complexum cælesti gaudio fruitur, Angeli mysterium Christi videntes ex illa beatifica uisione gaudium hauriunt : Non est eadem ratio Christi, & Sanctorum, qui minus possunt ad res nostras attendere, nisi velis omnia permiscere ac Christum æternum, æterni Dei filium in ordinem aliorum redigere: ἔνστασις tua vitiosissima est, & inconsequentia inde tradu&ta. *Si gaudium cæleste obstat, quo minus beati possint ad res nostras attendere, sanè quo quis maiore gaudio perfusus est eo minus possit attendere.* De Sanctis, & beata Virgine, qui sunt vascula gloriæ verum est, de Christo falsum, cuius splendor & coruscatio gloriæ in essentiâ, & potentiâ infinita est; quamobrem tua, qui de Christo exaltato supra omnes cælos ausus es talia vel commi-

comminiſci vel cogitare, blaſphemia ingens eſt, vt tuote gladio contradictionis iugulem. Ne tamen multus abeas, ais Sereniſſimum Regem, *inuocationem Sanctorum, inter nouitios, & ante Quingentiſſimum Chriſti annum inauditos articulos referre.* Audi verba clariſſimi regis noſtri. *Venio ad Sanctorum ſuffragia. Scio ego Chriſtum præcepiſſe ut ad ipſum veniamus, quicunq; peccatis oneramur, illum quippe nos refecturum, & leuaturum. Scio* Paulum *Apoſtolum humilitatem, & Religionem Angelorum prohibuiſſe, omnemque eiuſmodi venerationis cultum in ſuperſtitione, & humilitate, non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad ſaturitatem carnis. Sed quâ fiduciâ, quouè auctore decurratur ad Deos Penates iſtos, ſiue Tutelares, quaſi aulicos & familiares Dei op Maximi equidem neſcio. Id illis probandum reliquerim, qui noua diſputandi, ac philoſophandi ratione, Theologiam corruperunt. Mihi ſatis eſt, Deum, per Ieſum Chriſtum prout iubemur invocare: & hanc viam tutiorem,*

ideoque in rebus ad æternam ſalutem ſpectantibus potiorem, inſiſtere. Quod ſi Romanæ Eccleſiæ officina, Fidei articulos ante quingenteſimum Chriſti annum inauditos, ac inuiſos recenter excudit, non ſum credo damnandus pro hæretico ſi ad hæc nouitia, & nupera non accedam. Non eſt dubium recenſita eſſe inter nouitia, et nupera dogmata et decreta, *priuatam miſſam, mutilationem ſacramenti, tranſubſtantiationem, circumgeſtationem, inuocationem Sanctorum*, in poſterioribus concilijs cũ noua inuocationis forma vſurpata in cõcilio Lateranenſi iſta, *vt* Maria *Angelorum Domina, fons omnium gratiarum, quæ omnes hæreſes interemit, cuius opera magna reformatio &c. Fieri debet opem ferre dignetur*: et metricè.

„ *Omnium ſplendor &c.*
„ *Sola tu virgo dominaris aſtris,*
„ *Sola tu terræ, maris, atque cæli*
„ *Lumen, inceptis faueas rogamus*
Inclyta noſtris.

Iam proclamas: *quid ſi ego oſtendã ſanctorũ*

inuo-

Cyprianus, Athanasius, Basilius, Greg. Nyssenus, Nazianzenus, aliique loquuti sunt ex humana affectione, vel pathetica, & oratoria, vel laudatoria dicendi forma usi sunt.

---

invocationẽ maximè floruisse primis quingentis annis? Ostende (si potes) ullum Patrem ex auctoritate divinâ, vel præcepto jussisse, consuluisse, suasisse. E multis dicis te paucos accipere: quorum primus est, *Gregorius Nazianzenus oratione in Cyprianum. Tu ab alto nos respice, nostramq; vitam, ac sermonem dirige.* Oratione 18. sic ait, Citabo eundem authorẽ Græcè, tu Latinus Latinè. *Habes vir divine, ac sanctissime meorum sermonum primitias,* Σὺ ἡμῶν ἐποπτεύοις ἄνωθεν ἵλεως καὶ τὸν ἡμέτερον διατείζοις λόγον καὶ βίον, καὶ τοίνυν τῶτο πόιμνιον ποιμάνοις ἢ συμποιμάνοις. *Similiter* Augustinus, *l. 7. de Bap. contra Donatistas, c. 1. Adjuvet nos* Cyprianus *orationibus suis.* Respondeo, loquutũ fuisse utrumq; eorum ex affectu humano, & pathetica quadam, ac figurata loquendi formula, oratoribꝰ, & Theologis usitata. *Athanasiũ* testẽ producis *sermone dẽ Deipara: Inclina aurem tuam in præces nostras, & ne obliviscaris populi tui.* Et infrà. *Ad te clamamꝰ, recordare nostri sanctiss. virgo.*

Et

Cyprianus, Athanasius, Basilius, Greg. Nyssenus, Nazianzenus, aliique loquuti sunt ex humana affectione, vel pathetica, & oratoria, vel laudatoria dicendi forma usi sunt.

Et iterum. Intercede Hera, & Domina, & Regina, & mater Dei pro nobis. Audi igitur *Athanasium* optimum sui interpretẽ. Verba sunt laudatoria potiùs, vel encomiastica, sic enim subjungit eodem in loco. *Nam ideò his vocibus, ut ex te ipsa desumptis, & natura laudatorijs præcipuè in tuum encomium utimur: si quando hymnus, si quando laus tibi, sive à nobis, sive ab universâ creaturâ offertur tibi, inquam gratiosæ Dominæ nostræ Reginæ, heræ, matri Dei arcæ Sanctuarij.* Et paulò post: *Quoniam ex nobis es oriunda, & is qui editus est ex te, carniger noster Deus est, quem decet gloria, & magnificentia,* omnisque honor, *& adoratio, & gratiarum actio, &c.* Nequaquam instituit divinus ille vir, invocandi formam, vel adorandi, aut precandi normam, quippe qui omnem gloriam, & magnificentiam, omnemque honorem, & gratiarum actionem, & adorationem soli Christo ascribit: quod si omnem, &

omni-

Cyprianus, Athanasius, Basilius, Greg. Nyssenus, Nazianzenus, aliique loquuti sunt ex humana affectione, vel pathetica, & oratoria, vel laudatoria dicendi forma usi sunt.

---

omnimodam gloriam,& honorem,vester ille cultus δουλείας, & ὑπερδουλείας, corruat,necesse est. Ad eundem modum *Basilius*, & *Nyssenus*, quos testes adducis: *Basilius* sic oratione in quadraginta Martyres, *Qui aliqua premitur angustia,ad hos confugiat*: vel potiùs confugit,*qui rursus lætatur hos oret*: *ille, ut à malis liberetur; hic,ut duret in rebus lætis*. Adde etiam verba sequentia: *Sic hij quadraginta Martyres sunt unũ & omnes apud singulos*: *beneficium igitur hoc fratres dilectissimi, gratiam hanc minimè deficientem ex Deo obtinemus. Paratum est hic Christianis auxilium, Ecclesia videlicet Martyrum, exercitus triumphantium, chorus laudantium Deum, ubi verò quadraginta sunt, quis dubitat Deum esse præsentem?* Locus hic subobscurus est, & minimum adjumentum allaturus rei controversæ: Duo maximè perspicua sunt, alterum,gratiam minimè deficientem ex Deo, nos obtinere, quia Deus præsens est:

est; alterum, Ecclesiã videlicet Martyrũ, exercitum triumphantium, & Chorum laudantium Deum, esse paratissimum nobis auxilium; nimirum, ex affectu charitatis, orantium pro nobis: Tertium, proinde nos eos ipsos orare Martyres, vel exorare debere, semper ambiguum, & incertum. Illud obiter præmonendum, ne ullâ ratione factum pro jure, vel exemplum pro lege in Ecclesiam Christi inducatis. Ejusdem ponderis locus *Nysseni* est, orat. in S. *Theodorum. Intercede, ac deprecare pro patria apud communem Dominum, & Regẽ. Timemus afflictiones, expectamus pericula, non longè absunt scelesti Scythæ, bellum adversum nos parturientes: ut miles, pugna pro nobis, ut martyr, pro conservis utere libertate loquendi:* quẽ locũ valdè mutilas: nihil quicquam reticebo, pergit ulterius *Greg. Quod si majori etiã opus fuerit deprecatione, fratrum tuorum martyrũ, cogeberum, multorum justorum preces, populorum peccata luant. Admone* Petrum, *excita* Paulũ, *ac etiã Theologũ ac discipulum* Ioannẽ, *ut pro Ecclesia, quam constituerunt solliciti sint.*

sint. Totum hoc quantumcunq; est, nihil nisi humanæ authoritatis, humaniq; affectus testimonium est: proinde, hic vir sanctus apostrophe quadam, ac superlatione verborũ utitur, quod genus amplificationis, oratorib', & Theologis commune est. Ostendendũ tibi fuerat istud genus deprecationis, & intercessionis, à mandato divino profluere, quod propter ostentationẽ paucularum sententiarũ, quas hinc inde decerpis, non est ostensum. Totũ hoc argumentum in te retorqueo, Quod non est præceptũ in vetere, vel novo Testamẽto, non est verisimile præceptum fuisse à sanctis Patribus, ante annos quingentos: sed verum est primum, verum igitur est secundum. Verum autem primum affirmat *Eckius* in Enchir. *Explicitè non est præcepta Sanctorum invocatio in sacris literis: non in vetere Test. ubi populus alioqui propensus erat in idololatriam, & Patres erant in Lymbo nondum beati*, Esa. 64. Abraham *nescivit vos. Sub Evangelio non fuit præceptum, ne gentiles conversæ credenti se iterum duci ad cultum terrigenarũ, ut pro veteri more sanctos, nõ ut patronos*

sed

sed ut Deos adorassent noluit ergo Spiritus Sanctus in expressis Scripturis, docere venerationem Sanctorum. Secundum, itidem verum, audiri poterat, præcipi non poterat, hoc est, quod nos asseruimus audiri, ut præceptum non poterat. *Nos igitur orthodoxi, ita sentimus de Sanctorum invocatione nullum mandatum, promissumve nec exemplum in verbo Dei extare. Sanctorum invocatio in Vetere Testamento non fuit usitata. Item in Novo non fundata, immò post Apostolorum tempora aliquot seculis in Ecclesia Christi idololatrica Sanctorũ invocatio, non fuit in usu: sed Antichristus depravatis multis Fidei articulis, hanc defunctorum invocationem in Ecclesiam introduxit, & confirmavit.* Vter igitur veracior Sereniſſimus Rex, an *Becanus*? ille qui ad *nupera, & novitia decreta vestra non accedit*? an Ieſuita, qui à ſacris Scripturis longiſſimè recedit, & eſt in confinio Hæreticorum Collyridianorum? Abſolvam hanc partem diſputationis, & cum

Sere-

Auditum tale aliquid, sed non præceptum ante quingentesimum Christi annum, De invocatione Sanctorum.

Sereniſſimo Rege, & doctiſſimo Elienſe concludo, qui nihil perſuadet Regiæ Majeſtati, niſi quod ipſe Rex ſuaſoribus ſuis divinis eloquijs perſuaſiſſimum prius habeat. *Mihi in antiquorum Patrum ſcriptis* Auguſtini *cautione uti placuit. Quod in eis divinarum Scripturarum authoritati congruit cum laude eorum accipio, quod autem non congruit cum pace eorum reſpuo.*

De Fundamento Fidei.

CAP. VII.

REX (inquis) *in monitoria præfatione dicit, debere unumquemque ſcrutari Scripturas, & ſuper ſuâ certâ ſcientiâ fundamentum fidei collocare. Sic enim loquitur: Cum* Paulo *opto, vos omnes fieri tales hàc unâ in re, qualis ego ſum: inprimis, ut velitis Scripturas pervolutare, ex his*

his credendi normam petere, neq; super aliorum incertis opinionibus, sed vestra ipsorum certa scientia fidei fundamenta collocare. Quid hoc aliud est, quàm dicere debere unumquemq; se facere Iudicem dogmatum fidei, non credere Ecclesia, vel cuicunq; alteri, sed suo proprio judicio acquiescere? At ego tibi (*Becane*) verius regero: Quid est hoc aliud quàm optimi Regis verba intellectu, non difficilia detorquere? sicut sacras Scripturas, quod indocti, ac parũ stabiles facitis Iesuitæ vestro ipsorũ exitio. Pæniteat, pigeat, pudeat te aliquando taliũ illationum, illusionumvè, saltẽ tædeat aliquando. An hoc est, *facere se vel unumquemq; Iudicẽ fidei dogmatum*? Increpet te Deus Satana, ita non modò nequã es, & improbus, sed etiã fatuus Iesuita. Serenis. Rex in fine præfationis suæ, vel parænesεos, alloquitur dilectissimos fratres, & consanguineos, *quorum mentes Deus Opt. Ma. veritatis suæ fulgore, nondum illustravit*, & præcatur *cum Elizeo, ut oculos aperiat, & optat cum* Paulo, &c. ut Scripturas

scrutentur,

ſcrutentur, id ipſum jubente Chriſto, ex ijs credendi normam petant, nequaquam *ſuper incertis aliorum opinionibus, ſed ſuper certâ ipſorum ſcientiâ, fidei fundamenta collocent*; *Quando* Iuſtus ſuâ fide vivet, *& unuſquiſque ſit fide propriâ ſalvus.* De quocunque demum fundamento Fidei, id eſt, Religionis, vel Fidei juſtificantis loquitur, neceſſe eſt, ut ſuper certâ ſcientiâ, tanquam petra inconcuſſa, & ſtabili, non lubrica incertitudinis, & inſcitiæ arena, quilibet filius fidelis ædificetur, ſicut *Abraham* Pater fidelium, πληροφόρηθεις, *planè perſuaſus, & accedat ad* Deum *vero corde, in certâ perſuaſione fidei, & conſolationem, accipiant eorum corda ipſis charitate compactis, & omni opulentia certò perſuaſæ intelligentiæ ad cognitionem myſterij Dei, & Patris, & Chriſti.* Hæccine *doctrina omnium pernitioſiſſima eſt?* ut tu ais: Imnò veſtra fides implicita, & devotionis mater ignorantia, animabus perniciem affert. Hæccine doctrina *repugnat ſacris Scripturis, & omniũ Chriſtianorũ cõſenſui, ipſũ q; etiã Regẽ, & anteceſſores ſuos condemnat?*

Argumentum bicorne *Becani*, ex nullis verbis Serenissimi Regis elicitur, quare vim adfert *Becanus* verbis Regiæ Maiestatis.

Debueras hoc aliquo Syllogismo apodictico, vel ostensivo ostendere, petiturus, deinde arcem defensionis nostræ: quia priorem partem ejus calumniæ probare, minimè vis, vel potes, posteriorem partẽ sic ostendis: Rex Angliæ (inquis) *& alij Principes Protestantes, vel habent potestatem cogendi suos subditos ad fidem, quam ipsi putant esse veram, vel non habent. Si habent, ergo subditi tenentur illos sequi, & obedire. Ergo falsum est, unumquemque debere super certâ suâ scientiâ fundamentũ Fidei collocare. Non enim subditi super suâ certâ scientiâ, sed super scientiâ Regum, & Principum collocare debent fundamentum Fidei, si verum est, Reges & Principes habere potestatem suos subditos ad fidem compellendi: Si autem non habent hanc potestatem, cur eam passìm usurpant? Cur* Elizabetha *coegit subditos ad Calvinismum? Cur* Iacobus, *interposito juramento, idẽ facit? Cur Principes Protestantes in Germania eos imitantur? Non enim quærunt ex subditis, quid quisquè ex suâ certâ scientiâ statuat, de rebus Fidei, & religionis, sed ipsi*

pro

pro ſuo arbitrio & authoritate, etiam invitis ſubditis, & ſæpè reclamantibus, ſua Dogmata conjecturas, & ceremonias proponunt, imagines confringunt, crucem Chriſti eliminant: omnia ſacra, aſtante, & dolente populo execrantur. Quanquã nulla vis diſputationis propriæ, te compulerit, ut ad hoc dilemma excurreres, neq; ex verbis Sereniſ. Regis, tale quicquam elicere poteris, tamen excutiamus hoc tuum argumentum bicorne: ita enim pugnax es, ut vel dextro, vel ſiniſtro cornu, ſemper velis vincere, vel novam pugnandi litem, aut materiam invenire, quod vobis veteris, ac novi orbis victoribus invictiſſimis perfamiliare eſt. *Vel habent*, (inquis) *vel non habent poteſtatem cogendi ſubditos ad fidem.* Reſpondeo, ſi loqueris de ſubditis, qui Chriſto nomina dederunt, habent cogendi poteſtatem, cujuſmodi voſmetipſos aſſeritis eſſe, vel fore. Deinde, & illud conceditur, *Tenentur ergo ſubditi illos ſequi, & obedire*, ad fidei obedientiã, quæ re verâ talis eſt. Quid tum poſteà? *Ergo* (inquis) *falſum eſt, unumquemq; debere ſuper*

ſuâ certâ ſcientiâ fidei fundamenta collocare. Ab iſtâ aſſumptione neceſſarium eſt, cohibere aſſenſionem noſtram, ſicut ab illa quæ ſequitur conſequutionem: *Non enim ſubditi ſuper ſuâ certâ ſcientiâ, ſed ſuper ſcientia Regum, & Principum collocare debent fundamentum Fidei, ſi verum eſt, Reges, & Principes habere poteſtatem compellendi.* Hoc tibi iterum atque iterũ, homini effronti negatur, nam ſubditus quilibet πληροφόρηθεις, id eſt, certè, vel planè perſuaſus, ſuper ſuâ proriâ ſcientiâ: & Magiſtratus ſuper ſuâ propriâ ſcientiâ fundatur, quæ quia ſubalternantur, ſibi invicem nõ repugnant. Iſta igitur loquẽdi formula, qua Sereniſ. Rex uſus eſt, planè convenit cum illa, quam *Hiero. Zanch.* de Relig. Chriſt. Fid. adhibet, & in explicatione officij, credimus, *Pij Magiſtratus officium eſſe, primum quidẽ cognoſcere ex verbo Dei in genere, & ad ſummã capitum fidei, quæ ſit vera & Chriſtiana religio, quæve Apoſtolica doctrina, ad quam reformandæ ſunt Eccleſiæ: ut nihil ex ſolo aliorum iudicio,* ſed ex certa ſua ſcientia *in re præſertim*

Hier. Zanc. cap. 26. de Magiſtrat. Sect. 5.

Hieronymus Zanchius eadem locutionis formula vsus est, qua Rex super, vel, ex sua certa scientia, &c.

---

tìm tanti momenti agat, agerevè audeat. Deinde hoc cognito, curare, ut ministri ad officium idonei, non ex suo arbitrio, sed juxta regulam verbi Dei exemplaquè Apostolica eligantur, vocèntur, ordinentur.

Secernamus jam certa ab incertis, perspicua à dubijs, vera à falsis. Nulli Reges, vel Principes habent illiusmodi potestatem, vel excudendj novas fidei formulas, vel cogẽdi subditos ad eas amplexandas: nulli deniq; subditi obedientia talib° præstanda astringuntur. Duo axiomata sunt, & utraq; vera; Fides non cogitur, & unusquisque fideli fœdere inito cum Deo semel, præstando semper sistitur: & quod ad prius attinet, fides Spir. Sancti opus est, *Hoc est opus Dei ut credatis, Nemo venit ad me*, inquit Filius Dei, *nisi Pater meus traxerit*. Sed nullis tormentis, nullis equuleis adigitur quispiã, aut trahitur. Totum hoc salutaris instructionis est, per verbum exterius, persuasionis congruæ per Spirit. interius. *Fides ex auditu, auditus ex verbo Dei.* Quod ad posterius, etsi nemo invitus ad fidem cogitur, cogitur tamen

ad fidei unitatem, compelli potest ad fidei veritatem, quam in baptismo professus est, quam amplexus est, urgeri potest ad deponendas diversas, vel potiùs adversas Fidei formulas, ad superstionem crucis, & Imaginum venerationem eliminandã. Ejus mentis videtur serius aliquando fuisse *Augustinus*, epist. 48. & epi. 50. qui coactionem talem asserebat contra Donatistas, edictorum osores religiosorũ Principum, & pluribus in 2. *Gaudentij*, ep. l. 2. c. 17. & lib. 2. ca. 83. contra *Petiliani* literas. Quæ respõsio nostra est ad posterius lemma disjunctionis tuæ, per quod priùs destruitur. *Si non habent eam potestatẽ, cur eã usurpant? Cur* Elizabetha, *cur* Iacobus, *cur Protestantes Principes in Germania, &c?* Summam facis injuriam piæ ac illustris memoriæ, Reginæ *Elizabethæ*, non minorem Majestati Serenis. Regis *Iacobi*, ac Principũ tuæ Germaniæ, qui omnes, nec *Calvini*, neq; ullius cuiusquã hominis, sed solius Christi decretis, ac dogmatibus adhæresunt: mendosus itaq; sis in istis sicut mendax in multis alijs contumelijs intorquendis

quendis contra nos, & cæteros orthodoxos: testes contra te confessiones orthodoxarum Ecclesiarum complures, testis ὀρθοδοξίας *nostræ, & Apologia Ecclesiæ, & articuli Fidei, ac Religionis in Synodo Londinensi* 1562. Iuramentum fidelitatis legitima Regis cautio est; juramentum primatus Pontificiæ, id est, forinsecæ authoritatis everriculum est, utrumq; obedientiæ civium nostrorũ pignus, & auctoramentũ est. Ad extremum, sic concludis, *Serenissimum Regẽ, vel in doctrinâ, vel in facto errare, vel potiùs in vtroq;*, ut tu, te sentire dicis: & docendo, *unumquemq; super suâ certâ scientiâ, fundamentũ Fidei collocare debere; & idipsum subditis non permittendo ut faciant.* At tibi anteà responsum est, quod faciat Sereniſſima Majestas, idem nimirùm, quòd Principes ac Reges puriorum Ecclesiæ temporum factitârunt, doceat autẽ nihil aliud, quàm quod ex limpidissimo Scripturarum fonte haustũ est, quod liquet ex plurib⁹ locis. Quare clarissimus, ac doctissimus Rex haud errat, vel in fide, vel in facto.

Ratio quam addis hujusce Regis errati, parecbatica est, & erratica. Nam neq; rex ipse, nec subditi ejus esse debent Iudices controversiarum. Disputatio instituta est de fundamẽto fidei, tu discepras de judice dogmatum fidei:

——„*Amphora cœpit*
„*Institui, currente rota, cur vrceus exit?*

Sed quocunquè palabundus eas, te sequar. Nolis Regem, nolis subditos judices controversiarum fidei, ac religionis: rectè. Nam neq; Rex, nec subditi tale sibi judicium adsciscere debent. At quem vis? *Quis ergo?* Quæris. *Non alius quam prælatus Ecclesiæ.* Is est Romanus Pontifex. At Romani Pontifices turpiter in fide erraverunt: quales *Clemens*, si fortasse is verus est ejus nominis. Primus, *Marcellinus*, *Liberius*, *Honorius*, *Vigilius*, *Anastasius*, 2. *Ioannes* 23. alijq; in hæreses prolapsi, & judicialiter erraverunt: judices autem veritatis, ac fidei errare non debent. Is est Christus, *Iudicet enim Christus*, *Augustini* axioma est.

Iudicat

Iudicat enim secundum verbum id est legem & Euangelium, quod est examinis, ac iudicij norma, Spiritu Sancto lucis suæ facem iudicaturis præferente, is hos πάντας ὑ διανοίτας, Spirituum deducit in omnem veritatem. Veruntamen ais te probaturum hoc, *vulgari argumento. Magistratum Ecclesiasticum esse hunc legitimum iudicem omnium controuersiarum fidei ac Religionis. Omnes Catholici in hoc consentiunt. Aduersarij autem non possunt inter se conuenire, quia alij volunt esse Sp. Sanctum, alij Scripturam, alij internum criterium, alij magistratum sæcularem, alij vnumquemq; priuatum. Ergo* (ais) *potius Catholicis, quam Aduersarijs, credendum est*: & consectarium infers, *Hoc argumento satis conuincuntur aduersarij, nisi valde impudentes sunt, quia experientia docet omnes controuersias inter Catholicos statim sopiri per Ecclesiasticum magistratum; nullam inter aduersarios finiri posse, quia non possunt conuenire de communi iudice.* Hic alius com-

mittitur

mittitur paralogismus, nam si vos omnes Romanenses pseudo-catholici cõsentiretis, nos Catholici orthodoxi dissentiremus, ideonè uobis potius credendum est! sed vtrumque falsum vos omnes consentire, nos inter nos dissentire. An uero omnes lites, & dissidia Ecclesiastica composuerunt vestri prælati, & pontifices? Nullæne erant partes *Ambrosij* in occidente, *Athanasij* in oriente, *Augustini* in meridie, aliorumq; eruditissimorum virorum iugulandis *Arianis*, *Semi-arrianis*, *Macedonianis*, *Eutychianis*, *Nestorianis*, *Pelagianis* denique, ac *Donatistis*, quos percensere numerando longum esset: Immo vestrorum opera exilis, vel potius nulla in extirpandis hæresium, ac schismatum *Zizanijs*, in exscindendis tot, ac tantis Ecclesiæ scandalis, quæ vobis indormiscentibus, ac stertentibus indies tanquam sylua repullulant? Nullæne partes nostrorum hominum in nouis *Arrianis*, *Anti-trinitarijs*, *Samosatenis* reliquisque recentioris ætatis hæreticis confodiendis?

dis? An non potius vt in seminib⁹, ac stirpibus, causa est arborum, sic omnium luctuosissimorum Ecclesiæ bellorum semen ac causa uos fuistis? Præclarâ vestra consensio est, & sopita controuersia, inter regulares, & sæculares sacerdotes; inter monachos, & fraterculos, inter veteres Canonistas, & recentes papæ assentatores, quorum hij iudicium Papæ in præiudicium totius Ecclesiæ præferunt, illi, qui paulò saniores, ferre non poterant. Quare & Theologi Parisienses, & patres Constantienses cauerunt vt pontifex Ecclesiæ decretis subijceretur, *Basilienses* idem repetiuerunt, addiditque *Gerson*, monstri instar ratus, vt concilium ab uno omnem uim, atque dignitatem obtineret, eumq; qui id in controuersiam vocaret perinde facere, ac si ambigat an parte suâ omne totum maius sit. At vero qui vester summus judex, ac magistratus sit, vel potest aliquas, vel omnes, vel nullas, & solus, lites componere. Si has potest, & illas non, vel nullas, non est

Iudex

Iudex quem debetis agnoscere, sed potius hominis infirmitati ignoscere : Quod si potest omnes, vel per se potest uel per concilium : non per se, quia tunc non esset opus generalibus concilijs, quorsum opus esset ad concilia accessere, Iurisconsultos ac Theologos ? Si potest per se, cur datus appellationi locus, vel ad synodum, vel ad eundem rectius informatum ? Atqui si per concilium, quomodo ipse pontifex summus, ac solus, & unicus iudex in diremptione controuersiarum: Quamobrem nec papæ, nec concilijs, nullisq; credendū, nisi in vera clauium administratione, & in recta scripturarum interpretationem versantur. Versari autem non poterunt nisi Sp. Sancto regente, ac dirigente ipsorum corda, quæ est prora, ac puppis assertionis, & dogmatis nostri. Christus igitur est qui per vicariam uim Spiritus Sancti agit corda nostra, quæ est columba descendens in corda fidelium, non illa vestra ferali

ferali carmine Bubo, quæ *Ioan.* 23. sedentè ac præsidentè in concilio Romano, inuocato spiritu descenderat. Deinde Iudex adhibetur sacra Scriptura, qua tanquam lydio lapide omnibus probandis vtimur. Postremo Analogia fidei quædam est, à qua nulli licet in controuersijs dijudicandis discedere. Hæc sunt tam interna quam externa nostra criteria per quæ illi prisci Patriarchæ, Episcopi, ac præsides conciliorum, nec non recentiores, litem litiumque materiam sustulerunt: quod si negaueris, tua ignorantia implicata (sine dubio) in impudentiam, euasura est, Spirituque tuus prophanus, & phanaticus est, immò & satanicus, si nolis spiritum tuum, spiritui Dei, eiusque sermoni subijcere: frustra dixeris *placuit Spiritui Sancto, & nobis*, cum Apostolis, frustrà diuiseris Spiritum Sanctum à scriptura.

Sermo meus quem loquutus sum, inquit Christus ille, iudicabit vos die nouissimo. Quod si in illo vniuersali hominũ, & Angelorum

Iudex quem debetis agnoscere, sed potius hominis infirmitati ignoscere: Quod si potest omnes, vel per se potest uel per concilium: non per se, quia tunc non esset opus generalibus concilijs, quorsum opus esset ad concilia accessere, Iurisconsultos ac Theologos? Si potest per se, cur datus appellationi locus, vel ad synodum, vel ad eundem rectius informatum? Atqui si per concilium, quomodo ipse pontifex summus, ac solus, & unicus iudex in diremptione controuersiarum: Quamobrem nec papæ, nec concilijs, nulliſq; credendū, nisi in vera clauium administratione, & in recta scripturarum interpretationem versantur. Versari autem non poterunt nisi Sp. Sancto regente, ac dirigente ipsorum corda, quæ est prora, ac puppis assertionis, & dogmatis nostri. Christus igitur est qui per vicariam uim Spiritus Sancti agit corda nostra, quæ est columba descendens in corda fidelium, non illa vestra ferali

ferali carmine Bubo, quæ *Ioan.* 23. sedentè ac præsidentè in concilio Romano, inuocato spiritu descenderat. Deinde Iudex adhibetur sacra Scriptura, qua tanquam lydio lapide omnibus probandis vtimur. Postremo Analogia fidei quædam est, à qua nulli licet in controuersijs dijudicandis discedere. Hæc sunt tam interna quam externa nostra criteria per quæ illi prisci Patriarchæ, Episcopi, ac præsides conciliorum, nec non recentiores, litem litiumque materiam sustulerunt: quod si negaueris, tua ignorantia implicata (sine dubio) in impudentiam, euasura est, Spiritusque tuus prophanus, & phanaticus est, immò & satanicus, si nolis spiritum tuum, spiritui Dei, eiusque sermoni subijcere: frustra dixeris *placuit Spiritui Sancto, & nobis*, cum Apostolis, frustrà diuiseris Spiritum Sanctum à scriptura.

Sermo meus quem loquutus sum, inquit Christus ille, iudicabit vos die nouissimo. Quod si in illo vniuersali hominũ, & Angelorum

Spiritus Sanctus non est diuidendus a scriptura. Sermo meus, quem locutus sum, iudicabit vos in die nouissimo.

gelorum concilio, cur non hic etiam in particularibus, & generalibus confessibus? Concludo, sine sacra hac anchora, naucleri, & gubernatores Ecclesiæ in consultationibus suis fluctuaturos, & Ecclesiæ nauem, vel periclitaturam, vel perituram esse.

De concilio generali *conuocando.*

CAP. VIII.

REX (ais) *in monitoria præfatione dicit si concilium generale indicendum esset in quo omnes Christiani, ad aliquem in religione consensum adduci possunt, oportere conuocari omnes Christianos Principes, & Eccle-*

Sereniſsimus Rex non dicit ſe odiſſe Puritanos, ſed acrius inuectum fuiſſe in eos, iuſtis de cauſis.

Eccleſiaſticos, excluſis Ieſuitis, & Puritanis, hos enim fatetur ſe odiſſe, magis tamen Puritanos quam Ieſuitas. Quamuis enim iſto loco vtroſque coniungit, & communi titulo appellet nouitios, & furioſos incendiarios, alibi tamen ſatis oſtendit ſe Puritanis infeſtiorem eſſe quam Ieſuitis. Martine Becane, quid agitur? ſempernè mendacium iniuriâ, contumeliam calumniâ cumulabis? Sereniſſimus Rex dicit ſe, *quo ſtudio in Epiſcoporum, & Eccleſiaſticæ hierarchiæ defenſionem ſemper incubuit, eodem in confuſam illam* Anarchiam, & Parilitatem *Puritanorum inuectum fuiſſe.* Addit præterea in libro ad filium ſuum clariſſimum totius Britanniæ Principem, *multo acrius, ac vehementius in Puritanos quam Pontificios inuectum*, cui etiam cum ſecundò ederetur ait, *prolixam ſe in odium Puritanorum præfationem Apologeticam præpoſuiſſe:* Affirmat ſe odiſſe Puritanos, at quos demum? *Qui ſub Imperio ſuo degentes legum imperijs reluctari animis obſtinauerunt, quique intra ditionis ſuæ fines per-*

peruicaci illi diſciplinæ ſe tradiderunt: *Ciuili odio odimus improbos* (inquit Orator) quare, & hos, & illos, magis tamen Ieſuitas puritano-papiſtas quam Puritanos. Quid non ita pridem machinati ſint Ieſuitæ apud nos, ſatis proclamat. *Horrenda illa, & prodigioſa coniuratio, quæ per tormentarij pulueris impetum deſtinabatur, de cuius flagitij immanitate nulla vnquam ætas conticeſcet*, qua non ſolum regem, regiamque ſobolem, ſed etiam publicos regni ordines euertere, ac delere ſtatuerunt. Quid ante aliquot annos moliti Puritani, hij à quodam ſectæ ſuæ autore *Cartrightio* proſeminati (quod nouimus omnes) Anarchiæ ſtuduerunt; illi viſibili monarchiæ condendæ animos adiecerunt; vtrique Chriſtianæ Hierarchiæ demoliendæ, operam nauarunt pari ſucceſſu, vtrique in officio erga principem ſuum claudicauerunt, magis tamen vos Puritano-papiſtæ quorum parens veſter *Ignatius Loiola* ex vulnere accepto, vel curuitate tibiæ dicitur claudicaſſe. Inſti-

tuamus

tuamus paralelismum inter vos, & illos, vtriq; auari, ambitiosi, superbi, contentiosi, nouitij, incendiarij: vos tamen progenies viperina, qui communem matrem Ecclesiam, vterumque eius exeditis, ad cætera pænè gemelli. Audi igitur conquestionem sereniſſimi Regis de iniuriâ vestrâ, priusquam ad quæstionem veniam⁹, quos, qualesuè excluſos iri oporteat. *Hæc est præcipua, quam nobis inferunt, iniuria, quod ius Christianis commune Regibus, in generalibus conciliis nobis adimant; cum illorum habendi modum penitus sustulerint; eorum vi ac, potestate ad se pertractâ, & velut Monopolio in Pontificio conclavi constituto. Et tamen si spes vlla, aut exspectatio supereſſet, posse Christianos omnes ad aliquem in religione consensum adduci, id esset à generali concilio expectandum, indicto in commodum, nec suspectum locum conuentu, vbi Christiani omnes Principes aut ipsi, aut per legatos possent adesse; & Ecclesiastici omnes qui Christianam*

religionem profitentur, illisque veteribus veræ, antiquæ, Catholicæ, & Apostolicæ fidei fundamentis adhærescunt, tutum accessum ac commeatum haberent, incendiarijs vtrinq; furiosis, ac nouitijs, siue Iesuitis, siue Puritanis excluſis. Tria deinceps quæris; *Quinam Christiani adfuturi sint in illo generali concilio? Tum, Quis futurus est Iudex, & consilij præses? Quis consensus in fide, & religione sperari possit.* Primum quæris, Quinam adfuturi sunt excluſis Iesuitis & puritanis? *Ratio dubitandi est* (inquis) *quia si de fide, & religione agitur,* (*sicut reuera agitur*) *omnes Catholici, quotquot per orbem Christianum dispersi sunt cum Iesuitis in fide, & religione consentiunt. Et similiter omnes vbiq; puri Caluinistæ cum Puritanis. Si ergo Iesuitæ, & Puritani titulo fidei, ac Religionis excludendi essent; omnes Catholicos, & Puros Caluinistas eodem titulo excludi oporteret. Faciamus ergo sic esse. Excludantur Pontifex, Imperator, Reges Hispaniæ, Galliæ, Poloniæ, Hungariæ,*

gariæ, Archiduces Austriæ; Principes Electores, Moguntinus, Treuirensis, Coloniensis, Palatinus; Duces Bauariæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Franconiæ, Italiæ: Et omnes eorum subditi. His omnibus exclusis qui tandem sunt, qui concilio generali interesse possunt? Nimirum soli Anabaptistæ, Lutherani, & non Puri, seu Anglicani Caluinistæ. At hij omnes respectu aliorum quos excluſos vult Rex, pauculi omnino sunt. Quo modo ergo concilium generale dici poterit, vbi tam paucis præsentibus maior pars Christiani orbis absutura est? Respondeo, falsum est reliquos omnes excludi, communionis vestræ Romanæ Catholicos, interdicto vobis concilio farraginis Iesuiticæ; illisuè factionis Puritanæ. Vos enim vltimi emissarij Satanæ, non estis digni vt ad concilium vocemini: oderunt vestrum Iesuiticæ doctrinæ fermentum Christiani principes, & expurgatum volunt, noverunt vestros malos mores & clamores quibus mundum exagitatis, non ignorant

rant stratagemata, quibus vitæ & sanguini & dignitati principûm insidiamini; non ferunt illam libidinem pruriendi in singulis Ecclesiasticæ disciplinæ negotijs puritanorum, istos haud quidem dignantur honore, vos, donec mores mutaueritis, fugiunt oculis, respuunt auribus, tanquam mala auspicia execrantur. Dicis hos *pauculos omnino esse respectu aliorum*: Nunquid pauci omnes Catholoci & orthodoxi excluſis Iesuitis & puritanis? at inquis. *Quomodo generale concilium dici poterit?* Erit quidem liberius & generalius concilium, vobis cum puritanis plane reiectis. Optamus igitur vt illucescat aliquando ille dies vbi Imperator, Reges, Principes vel per se, vel per legatos suos, omnes, vel maior Christiani orbis pars, Episcoporum, presbyterorum doctissimorumque hominum interesse posset, ac de difficilibus atque maximè arduis fidei, ac religionis negotijs in conuentu publico ageret, ac disceptaret: argumentis omnium partium, & cuiuscunque

cunq; cõmunionis vltrò citroque habitis, auditisq;. Tale erat concilium illud Hieroroſolymitanum primum Apoſtololorũ, presbyterorum , virorumque fratrum Chriſtiani orbis tum unicum oraculum priuſquam regnum, ac Eccleſia in vnum coaluiſſet, vbi illæ potiſſimùm voces circumſonabant S. *Petri, narrantis miniſterium ſuum, verbumque Euangelij* Iacobi, pronuntiantis *Scriptum eſt, omniumque concorditer coactorum*, Viſum eſt nobis. Tale erat Nicænum primum nobiliſſimum concilium, quod zelus *Conſtantini* excitauit, ad ſynodum Epiſcopos, alioſque eruditos viros venire præcipiens: de quo *Martianus* Imperator. *Nos ad conſeruandam fidem, non ad potentiam oſtendendam, exemplo glorioſiſſimi principis* Conſtantini *Synodo intereſſe volumus*, videlicet Chalcedonenſi, cui non ſolum interfuit, ſed etiam præfuit.

Vides iam quorum intereſt præſentes eſſe in concilio, quorum præeſſe; quæ reſponſio eſt ad quæſtionem geminam.

Quis præsidebit in concilio ? Quis supremus erit Iudex ? Gregorius Magnus (cuius verba inter decreta referuntur) quatuor prima concilia sicut Euangelij quatuor libros veneratur, *Nicænum, in quo peruersum* Arrij *dogma destruitur*, *Constantinopolitanum in quo* Eunomij & Macedonij *error anathematisatur*, *Ephesinum in quo* Nestorij *impietas iudicatur*, *Chalcedonense in quo* Eutychetis, Dioscoriq; *prauitas reprobatur*.

In hijs vero concilijs quæ tanti faciunt pontificij, non Romanus pontifex, non eius vllus legatus, sed aut Imperatores, aut Episcopi alij patriarchæ primas in dicendo partes obtinuerunt : *Cuius non fuit ille* Hosius Cordubensis *concilij Princeps*, inquit Theodoritus, *aut quis illius rectæ sententiæ potuit refragari* ? Celebres habiti sunt illis primis Temporibus *Eusebius* cui maximam curam demandauit *Constantinus* : *Spiridion Cyprius* homo coniugatus, & *Paphnutius*

Romanus Pontifex in primis generalibus conciliis non præfuit, neque quisquam ex suo priuato arbitrio, vel dogmata definiebat, vel lites finiebat.

---

paphnuti° coniugii defensor, & *Alexander* Episcopus, & ille confessor Laicus qui magnum Dialecticum in Nicæno confutavit. Sequuti sunt alij posteriorum temporum, vt *Cyrillus*, qui controuersias, litesque Ecclesiasticas componebant, atque ex verbo Dei dirimebant: Duo affirmamus: nullus erat eiusmodi præses qui ex sui arbitrio, vel dogmata definiebat, vel lites finiebat, sed ex Dei verbo quem tu supremum Iudicem vocas, ac si ad se, voluntatemque suam omnia reuocaret. Quiscunque fuerat ille qui quæstiones proponebat, suffragia colligebat, ex sententiâ totius Synodi pronuntiabat, non erat Romanus Pontifex, ille enim vel valetudinarius delitescebat, vel aberat per contumaciam, vel aderat per legatos inferioris ordinis. Nullæ partes officii, siue regiminis in illis veteribus conciliis, nullæ futuræ in generalibus conciliis nostris. Iam pro consuetâ linguæ petulantia quæris, *Quis futurus*

Romanus Pontifex in primis generalibus conciliis non præfuit, neque quisquam ex suo priuato arbitrio, vel dogmata definiebat, vel lites finiebat.

---

sit præses? & confestim subijcis. *Sine dubo Rex Angliæ, vel Daniæ vel princeps aliquis Lutheranus.* Quasi vero potentissimi ac clarissimi duo Reges aliquâ ambitione contenderent pro illo primario loco in concilio generali : quanquam ambo religione ac pietate, maiestate regiâ, rerum gestarum gloriâ, nullis orbis Christiani regibus cedant : nemini facio iniuriam.

Si duo præterea tales Europa tulisset,
Terra viros.

Debueras parcere existimationi, claritati, dignitati, atque auctoritati Regum, & principum vestrorum. Habent illi præclarè fundata gymnasia, collegia, Academias, ex quibus aluearijs innumerabiles viri eruditione præstantes prodeunt indies.

Hoc

Ηὐτε ἕθνεα πόλλα μελισσάων ἀδινάων,
γείρῃς ἐκ γλαφυρῆς ἀΐσει νέον ἐρχομένων.

Qui omnes verè Ieſuitas laceſſunt in pugnam, quorum aliqui digniſſimi ſunt, ut non modò accerſantur ad Concilium generale, ibidemq; ſedeant, ſed etiam præſideant pro literaturâ, prudentiâ, gravitate, & ſanctitate morum, ut tibi minimè neceſſe ſit ἀντιμυκτηρίζειν. Sed ais invidioſiſſimè, *non laturos hoc Anabaptiſtas.* Vſquè adeò inſani ſunt Anabaptiſtæ, ut plus Concilium generale reformidant, quàm vos pontificij, ad cujus auditum tenuem rumuſculum planè exalbeſcitis. Deinde hoc *fieri non poteſt, ut unus aliquis ſit ſupremus Iudex omnium.* Verum hoc, ob rationem tuam, qui omnem prerogativam Pontifici tuo tribuis, non ob rationem noſtram, qui judicandi officium, ſemper ex verbo Dei Presbyteris, Epiſcopis, alijſq; convocatis legitimè aſſignamus.

Illud autem conſectarium tuũ mirificè

olet malitiam tuam, Sereniſſimum Regẽ, *velle unumquemquè ſuper ſuâ certâ ſcientiâ fundamentum Fidei collocare; ſingulos ergo, qui in Concilio adfuturi ſint fore Iudices.* Eſt enim quædam fidei regula, ex ipſis ſacris Scripturis petenda, ejuſq; analogia, ad quam tanquam cynoſuram omnes diſceptationes, deciſiones dirigendæ ſunt. Vno verbo rem totam complectar. Eorum eſt præſidendi officium, quorum eſt Synodum indicere, vel quib^a hoc munus ab Eccleſia, vel partibus litigantibus demandatur, proindè nec actori, neq; reo in propriâ cauſâ judicium exercere unquam licuiſſe, vel licere, aut præſidere. Neutrum igitur Pontifici Romano competere, quia eſt actor, qui nos hæreſeos accuſat, eſt etiam reus idololatriæ multiplicis peragendus, ac falſorum Dogmatum accuſandus, atque convincendus. Vides itaque præſidendi negotium in Concilio, non eſſe jus ſupra Concilium, plenamvè poteſtatem decernendi, pro ſuo arbitratu, vel libidine, pro quâ vos ambi-

tione

tione incredibili contenditis. Quocirca, minimè necesse fuit, dubitare, vel desperare de consensu facili, & eventu optabili (quod tu facis.) *Et quis tunc consensus sperari potest?* sed potiùs omnia fausta, ac fœlicia, & precari, & sperare meliora, quam quæ in Tridentino Conciliabulo, hactenus concluſa fuerunt. Sed quoniam ita vis, audiamus dialogiſmum tuum, & impoſſibilis caſus fictionem (quod exemplo declaras:) Convocetur (inquis) Concilium quale vult Rex. Adſint Anabaptiſtę, Lutherani, & qui in Angliâ cum Rege ſentiunt. Moveatur controverſia, *An infantes, cùm adoleverint iterum baptizandi ſunt?* Affirment Anabaptiſtæ; negent cęteri. Præſes, quiſquis futurus eſt, litem dirimat. Quid facto opus? Audiantur primum Anabaptiſtæ. Eorum ſine dubio, vox hæc erit. *Domine Rex: Fundamentum fidei de Baptiſmo infantium ſuper certâ noſtrâ ſcientiâ collocandum eſt, ut tu ipſe ais. At certo nobis conſtat, infantes cùm adoleverint, iterum baptizandos eſſe, in hac ſcientia*

entia fundamentum fidei noſtræ immotum ſtat. Vos ſi vultis, aliter ſentite per nos licet. Quid jam Lutherani cum ſocijs? Sic illi. *Domine Rex, noſtra certa ſcientia planè contraria eſt. Scimus Infantes, ſi ſemel baptiſmo luſtrati ſunt, non iterum luſtrandos eſſe. In hoc pedem figimus.* His utrinque auditis, concludet Rex. *Vnuſquiſq; abundet in ſuo ſenſu.*

Ite domũ Saturæ, venit Heſperus, ite capellæ

Ad puerilem tuam mimeſim reſpondere poſſum, totum hoc σκεδιασμα tuum hiſtrionicum, & Terentiano Syro dignum, cui dixerat ille in Adelphis. *Ædipol Syriſce te curaſti molliter, lautè q; munus adminiſtraſti tuum.* Totum te ad ſcommaticum, & ſcurrile genus orationis convertis, rationum robore, ac firmitate deſtitutus. Annè putas teipſo judice, te ſyncerè, & ſanctè cum tanto Rege agere, in tam gravi cauſâ, in quâ agitur totius orbis Chriſtianorum ſalus: tuam appello conſcientiam modò non cauteriſatam. Vultne prudentiſſimus Rex indici tantũmodò Conciliũ

Anabap-

Anabaptistarum, Lutheranorum, & Calvinistarum (quos odiosè nuncupas) immò vestrorum pseudo-catholicorum, & orthodoxorum, omniumq; planè (exclusis omninò Iesuitis, & Puritanis) Non nego tractari posse in Concilio generali pædobaptismum contra Anabaptistas, & Catabaptistas, sed non eo genere ludicro, & ridiculo examinis, quo tu uteris. Controversiæ multò maximæ, gravissimæq; tractabuntur in Synodo, præsentibus Cæsareâ Majestate, Regibus, Principibus, Episcopis, Presbyteris, alijsque doctissimis hominibus, citabitur reus vester Romanus Antichristus, malè gubernatę naviculæ Christi, pessimus nauclerus, malè administratæ reip. Christianæ, reus complurium criminum, tyrannidis, utpote se efferentis supra generale Concilium, blasphemiæ contra Christum, & Sp. Sanctũ, cujus vices in terris sibi vendicat, idololatriæ, & ethelothresciæ, utpotè populum Dei ad imagines venerandas inflectentis, transubstantiationem, mutilationem cœnæ Dominicæ proponentis, ac aureo suo poculo fornicationum, quod omnib⁹ propinat Reges, & regiones inebri-

inebriantis, reus peragetur: citabũtur Tridentini Patres eorumvè sequaces, propter sua falsa dogmata, absque auctoritate generali Ecclesię universalis concluſa, in illo Conciliabulo excusa, obtrusa orbi Christiano, sistentur ibi Iesuitæ reddituri rationem, & judicium subituri, pænasque daturi perduellionis, proditionis, cæterorumq; immanium facinorum, ac conjurationum, & quorundam dogmatum, quæ hactenus docuerunt, defenderuntq;, contra dignitatem, & vitam, contra jura regalia, contra primatũ Christianorum Principum. Quæ quidem singula cùm discutientur, expedientur, perorabuntur à nobis orthodoxis, in Concilio publico, necesse est ut ubicunque futuri sitis totis artubus contremiscatis. Aut igitur (*Becane*) in posterum, nisi aliquid subtilius habeas istis ineptijs, argutijsque, vel timore perculsus, & conscientiâ propriæ infirmitatis, vel suffusus pudore, desinas augustissimo

Regi

Regi, & eruditissimo Elienſi illudere, vel pergas, (ſi placet) in argumento colludere, cum orbe Chriſtiano, vel

„*Ludere par impar equitare in arundine longâ.*

RESPONSIO AD *EPILOGVM.*

SIVE

Catalogus Sophiſmatum, *Elenchorum, Paralogiſmorum* BECANI, in utraque *quæſtione, De primatu, & de Paradoxis.*



POSTREMO concludis (*Becane,*) *Quæ hactenus contra Sereniſsimũ Regem Angliæ* diſſeruiſti, (*quem ſemper, & ubiq; honoris cauſâ nominatum* voluiſti) *te ad duo capita revocare,* quorum prius eſt, *Regem in ſuo regno nullo*

nullo penitùs jure Primatum Ecclesiæ usurpare posse: posterius est, nova quædam paradoxa, & falsa dogmata, succinctâ veritate te refutasse, *quâ modestiâ potuisti, & debuisti.* Hæc omnia per Antiphrasin *Becane*; apparet enim verba, factis esse contraria: quare neque clarissimum Regem, literatissimum Principem, & subtilissimum disputatorem honorificè tractasti, sicut debueras, neque librum Regis ullâ solidâ ratione, vel accuratione refutasti, quia non valueras. Manet igitur vis regij primatus inviolabile, nullisq; viribus ingenij tui expugnabile. Sereniſſimaque Regis Maiestas, tanquam fidei adamas manet, mansuraque est inconcussa, vobis Iesuitis eandem incudem dies ac noctes tundentibus: existimavi autem operæpretium, ut pro tuo Epilogo tibi catalogum reponerem sophismatum, & paralogismorum tuorum.

Sunt

Sunt autem hujus generis Elenchi passim dispersi.

Rex non potest se gerere Primatem in Ecclesia. Ergo non habet primatum in Ecclesia. Quod argumentum ducitur à falso conjugatis, aliud est enim habere primatum in Ecclesia; aliud est Primatem esse in Hierarchia ecclesiasticâ.

Rex in potestate triplici, non est supra res vel spiritualia charismata; Ergo non est supra personas. Hæc est fallacia falsæ consequentiæ.

Aliud Sophisma.

Episcopus Regi, & Sacerdotium regno prælucet in aliquibus, ergo in omnibus: à secundum quid ad simpliciter, præcellunt enim Sacerdotes Regibus in perfectione, & spirituali solatio, non in potestatis eminentiâ, & regimine ecclesiastico.

Similis Paralogismus:

Rex est super omnes in Ecclesia. Ergo

supra totam Ecclesiam; fallacia itidem consequentis est, quanquam enim Rex sit super omnes personas in Ecclesia, non tamen supra totam Ecclesiam Catholicam.

Alter Paralogismus est,

Status politicus ex natura rei distinctus est ab ecclesiastico: Ergo habet distinctum tribunal: Ergo, qui præest in uno, non præest in altero. Ergo, Rex ex eo præcisè, quia iurisdictionem habet in tribunali politico, non habet in Ecclesiastico. Tota hæc disputatio procedit ex ignoratione Elenchi, ostendimus enim, quòd istæ potestates non sunt paralelæ, sed hypallelæ, & sibi invicem subordinentur propter commune bonum utriusque.

Regia potestas à sacerdotali distinguitur, Ergo, nullum habent commune vinculum.

Primatus regius non invenitur descriptus totidem syllabis in decalogo, & iudicialibus: Ergo omninò non invenitur, quoad æquum, & bonum, vel quoad exemplum; in alijs Scripturis: vel

Non

Non invenitur 17. Deuter. *specificè descriptus. Ergo alibi non invenitur.* Asylogista est.

Ius Regium in populum, cui obsistere non licet, est 1. Reg. c. 8. *consuetudine vsurpatum. Ergo est tyrannicum.* Fallacia consequentis.

Præsidere in ijs quæ ad Deum, & in ijs quæ ad Regem disparata sunt, ergo, opposita sunt, vel contraria, 2. Parali. 19. Fallacia est à terminis non convertentibus.

Amarias, & Zabadias *præficiuntur à Rege* Iehosaphat, *ergo excluſit seipsum à procuratione summâ rerum ecclesiasticarũ.* Fallacia consequentis est.

Fallacia & hæc tua est, à secundum quid, ad simpliciter.

Standum est judicio sacerdotis ex lege pronunciantis. Ergo standum simpliciter. Si sacerdos dixerit dextram tuam siniſtrã, vel siniſtram dextram, non est standum judicio ejus, quod benè adnotavit *Lyran°.*

Sacerdotes debent consulere Dominum, vel ex lege Domini dare consilium: Ergo sunt Regibus suis superiores. Paralogismus est consequentis.

Eius generis hic tuus Paralogismus vulgaris.

Non licuit Regibus, sed Sacerdotibus aram attingere: ergo, Sacerdotes præferuntur Regibus in ijs, quæ sunt ad Deum, & religionem. Addendum erat in quibusdam, id est liturgijs, concionibus, clavibus, sacramentis, non in omnibus.

Fallacia à majore ad minus.

Solomon non potuit jure divino interficere Abiathar: *ergo, non potuit deponere:* Axioma logicum est, Quod valet in majus, valet in minus, è contrariâ parte non valet: utrumquè certè potuit ob crimen Ecclesiasticum, & civile.

Paralogißnus à paribus tuus est.

Vt Saul *peccavit occidendo Sacerdotem: sic* Solomon. At hæc planè disparia sunt, alterum enim est factum tyrannicè, alterum legitimè.

Insolubilem quæstionem facis tibi *Becane*, in discutiendo facto *Solomonis*, quales ille commisit Paralogismos Iesuita contra Dominum Cookium.

Habet aliquis in me spiritualem iurisdictionem: Ergo, habet & temporalem. Vel, habet temporalem, ergo, & spiritualem. Quasi Dominus *Cookius* ita argumentaretur, cùm potiùs sic argumentatur, Habet Monarcha, vel Rex, iurisdictionem supremam temporalem, (ut vocant) Ergo & spiritualem, quod certè verissimum est, si de certa iurisdictione in foro exteriore intelligatur, cuiusmodi est primatus Regius.

Monendus es etiam, ne similes paralogismos, posthac committas, vel hyperbolas admittas in verbis istis; *solio Ecclesiæ* quod est regnum spirituale, & *throno*

Ecclesiæ, & tribunali ecclesiastico, ne fortè concludas ab homonymiæ fallacia, vel à non distributis, tanquam ad distributa.

Ejusmodi Paralogismus in tuo Enthymemate.

Omnes Sacerdotes in vetere Testamento, vocati sunt Angeli Dei, quòd Dei voluntatem annuntiabant, quòd non poterant Reges. Ergo Sacerdotes in rebus divinis erant supra Reges. παρὰ τὸ πῆ ὡς ἁπλῶς λεγόμενον.

Talis & illa inconsequentia tua,

Petro *concreditum est ovile. Ergo, totum ovile, & soli, & non alijs.* Fallacia est à parte ad totum, cum sit potiùs loquutio Synechdochica.

Illiusmodi Sophisma tuum,

Vicarius

Vicarius, secundum communem conceptum, minor est eo cuius est vicarius, & inferior. Ergo Sp. Sanctus minor Christo est, Fallacia accidentis est cum Sp. Sanctus nec essentia, nec potentia minor sit eo cuius est Vicarius, sed eo ipso quod est Vicarius: nec ratio missionis, vel commissionis facit ipsum absolutè minorem, quia æqualitatis, ac ordinis est, non servitutis.

Pariformis ἀσυλλογισία.

Si Rex dicit Sp. Sanctum propriè esse Vicarium Christi, necesse est eum dicere Sp. Sanctum esse minorem Christo, quæ est hæresis Macedoniana; Immo potius hæresis Montanismi dicere meram creaturam paracletum Romanum pontificem vicarium Christi.

Talis captio tui dilemmatis.

Vel Sp. Sanctus est propriè vicarius Christi secundum humanitatem, vel divi-

nitatem. Intelligendum hoc de integro complexo, quatenus Christus Homo. Deus est.

Elias *per turbinem ascendit in cælum: ergo in cælum aereum vbi volucres: ergo non in cælum empyreum, vel paradisum.* Fallacia æquiuocationis est.

Sicut & illa,

Enoch *translatus est in paradisum: ergo in terrestrem Paradisum.*

Similis est inconsequentia.

Elias *raptus*, Enoch *translatus: ergo eorum mors non sublata, sed dilata, vt interficiantur ab Antichristo.*

Absurda etiam consequentia.

Duo testes sunt interficiendi: ergo Enoch & Elias *sunt duo illi testes.*

Eiusmodi collectio est.

Regis

Regis doctrina nititur coniectura; ergo non innititur fundamento sacræ Scripturæ, de duobus testibus: cum duo testes sint vetus & novum testamentum ipsæ enim Scripturæ attestantur: Negatur tibi argumentum.

Serenissimus Rex dicit ante completam Prophetiam, definitionem Antichristi esse rem obscuram: ergo omnino rem obscuram, a secundum quid ad simpliciter.

Parilis impudentia vel blasphemia est.

Nec Christũ ad res nostras posse attendere; quasi ille suo modo interpellandi à gaudio suo secundũ humanitatẽ auocaretur: cũ Christi humanitas a diuinitate nõ diuidatur, nisi sapias *Nestorij* hæresim. Christus secundũ totũ complexũ considerandus, neq; eadem est ratio Christi, & sanctorum, quo minus possint ad res nostras attendere fallacia tua à disparatis ad idem est.

Paralogismus & ille alter est.

Sancti viri usi sũt verbis laudatorijs siue encomi-

encomiasticis, & oratorijs, & ex humano affectu loquuti sant, ergo precatorijs, vel ex diuino præcepto.

Ignoratio etiam elenchi est.

Non super incertis opinionibus sed super certâ scientiâ fidei fundamentum collocandum est. Ergo vnusquisque debet se facere fidei dogmatum Iudicem: ergo etiam subditi tenentur super certâ scientiâ Regum, non suâ, fidei fundamentum collocare: cum potius subditi tenentur ad obedientiam fidei, quam in Baptismo professi sunt, & cogi possunt ad vnitatẽ fidei.

Petitio deniquè principij est.

Omnes controuersiæ possunt sopiri, ac componi per legitimum magistratum Ecclesiasticum, ergo is Romanus Episcopus est. Immo potius papa tuus malè administratæ reipub. Christianæ ac hæreseωv variarum reus in Concilio generali peragendus est.

Sunt

Sunt & alij elenchi qui integras paginas possint complere, & ex isto, & alijs *Becani* libris hauriendi.

Postremò in hijs, tanquam in speculo seipsum contueatur *Becanus*, & societatis suæ Iesuitas. [a] *Ex sacris eloquijs cauillationes suas conficiunt, & sacra eloquia vi ad falsam suam sententiam falsis interpretationibus detorquent.* [b] *Veluti sues, & canes in vomitus sui volutabra sese versantes, alia atque alia ad-inveniunt commenta suæ impietatis.* [c] *Quemadmodum sepiæ atramentum, ita simplicioribus tenebras offundunt ipsi interim sui dogmatis obliti.* [d] *Aranearum telis infirmiores illaqueant, ex eoque sibi scitum aliquid, ac præclarum facere videntur.* [e] *Narratores superflui sicut hirundines suauitatem loquacitatis continuatione corrumpunt. Superflua loquitur Hæreticus. Qui non loquitur veritatem non loquitur secundum legem.*

[a] *Athanas. orat 2 c. Arrianos.*
[b] *Athan. Ser. 3. cont. Arrian.*
[c] *Ibid. Ser. 4.*
[d] *Gre. Nazianz orat 33. quæ est prima de Theol.*
[e] *Amb. Tom. 4. serm. 11. in 118. Psalm.*

Μονοσόφῳ θεῷ δόξα.

ERRATA.

PAg. 21. lin. 13. lege bona. pag 24. & 26 l Constantinus. p. 48 l. 2. l. κεκάλυκας. p. 52. l. 13. l. quod. p. 55. l. 15. l. iam. p 66. l. 3. l. absoluendique p. 71. l. 7. l. ad subditos suos. p. 74. l. 10. l. efficere. p. 93. l vlt. l. tollet. p. 110. l. 6. l. inebriare. p. 135. l. 13. l. pervidebis. p. 145. l. 16. l. respondeo. p. 148. l. 10. l. alienigenæ. p. 149. l. 15. l. quia, p. 156. l. 7. l. ministerio. p. 157. l. 9. l nullo. p. 168. l. 4. l. recentium. p. 180. l. 3. deest contra. p. 182. l. 4. l propiore, p. 195. l. 6. l. debeant, p. 199. l. 20. l. falsitatis, p 208. l 9. l. hac, p. 218 l 2. l. disseruimus, p. 264. l. 23 l. plurimæ. p. 284 l. 7. l. is est papa, p. 297. l. 15. l vis, p. 343. l. 22. l. consistere, p. 351. l. 11. deest, loco, p. 354. l. 12 si aliqui. dele reliqua, p. 358. l. 15. l. Babylonico, p. 362. l. 6 dele innititur, p. 375. l. 3. l. inultus, p. 389. l. 14 l. fidelis, p. 393. l. 5 l. χρίτας, p. 396. l. 6. l. accersere, ibid. l. 16. l. interpretatione, p. 398. l. 4. naucleros.

LONDINI

Excudebat G. Eld, *impensis* Nath: Butter, & Radol. Mab. 1611.

C 24119

69690 SL

PHOTOSTAT FACSIMILE

REPRODUCED FROM THE COPY IN THE

HENRY E. HUNTINGTON LIBRARY

FOR REFERENCE ONLY. NOT FOR REPRODUCTION